

Sigm. von Perger del. Fr. Xav. Eßner sculp.

Consummatum est. (Joan. XIX. 30.)



MANUALE PRECUM,

seu

PIA EXERCITIA


in usum

sincere in Deo proficere cupientium,

collecta

per

J. M. L.



VIENNAE,

apud Henr. Buchholz,

c.r. Bibliopegum aulicum,

in platea Scotensi N.º 136.

Pfeobl sc.

(ca. 1840)



PROLOQUIUM.

Viae Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem; ita lamentabatur quondam Jeremias Propheta. Thr. 1. Quod ille tunc deflebat, quod olim S. Paulus Tim. 4. praedicebat: Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur: hoc prae oculis actu habemus, stupendum illum in Ecclesia Christi inter fideles salutis neglectum. Ad haec enim tempora devenimus, ut multi in gremio sanctae Matris Ecclesiae vivant in-

star Ethnicorum. Sicut enim apud istos non est mentio de Deo vero, de Christo Salvatore, de ejus amara pro nobis passione, quam aliunde ignorant; ita apud multos Christianos de Deo, de mysteriis redemtionis nostrae altum est silentium. Cultus Deo debiti, adorationis, reverentiae, subjectionis non pauci oblivisci videntur; et si quid horum exhibent, adeo illud sine devotione peragunt, ut poenam potius, quam praemium mereantur.

Multi sunt, qui per omnem vitam nullum penitus verae gratitudinis actum eliciunt pro eo, quod a Deo creati sint, quod in momenta singula conserventur, quod corporis valetudinem, vires, alimenta, opes etc. receperint; quod inter Christianos nati, et immeritissimi ad fidem sint vocati, collata eis securae veritatis notitia atque baptismi justitia, quibus accessere SS. Sacramenta, salutis aeternae media saluberrima, et vitae aeternae promissio laetissima.

Minime perpendunt, quantopere Deus Pater homines amet, ita, ut Filium suum unigenitum pro salute eorum dederit. Ad haec Angelorum praesidio ipsos munit, et sua divina providentia in omnibus protegit. — Christus Salvator nulli in hac vita pepercit labori, nullam praetermisit occasionem, ut pro hominibus inaestimabiles posset comparare et promereri thesauros. — Spiritus sanctus continuo movet, excitat, illustrat mentem, et internis voluntatem hominis urget inspirationibus, et pene obtrudit gratias suas hominibus. — Haec tamen omnia profundissima oblivione obliterant ingratissimi Deo homines; novissimorum suorum, et quae in altera vita peccatori parantur tormenta aeterna, vivunt immemores.

Sunt inter Christianos, qui ore Deum fatentur, factis vero negant; corpus enim suum, ejusque commoda nimis amantes, et saeculi legibus pertinaciter adhaerentes, contra Evange-

licam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos pene erubescant. Fovent quotidie peccata sua, et flagitiis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt. Nihil sapiunt, nisi terram, bonaque et mala solius corporis voluptate perpendunt, et sic omnes vitae suae actus disponunt, ut nonnisi corporis sensibus obsequantur.

Maximum bonum judicant opes, quas si bonis artibus nequeunt, malis assequi student; nihil illis turpe, nihil indignum, dummodo pecuniis affluant, et dignitatibus, quibus ad injuriam Creatoris sacrilege abutuntur.

Haec autem faciunt, quia verbis Domini non credunt, et humanae conditionis obliti longam sibi annorum seriem pollicentur. Quiescunt in rebus transeuntibus, quae rursum ab aliis occupandae sunt, nihil soliciti de permanentibus, quia de aeternitate non cogitant.

Torquet illos ambitio, dissolvit libido, inflat superbia, lacerat invidia,

agitant cupiditates, et justitiae fastidio laborantes sic Dei mandata aversantur, ut fere etiam execrentur.

Clamat Christus: beatos esse pauperes, — beatos, qui lugent, — qui persecutionem patiuntur; isti ex adverso beatos illos dicunt, qui divitiis ad satietatem abundant, qui super alios dignitate eminent, quos omnes venerantur.

Edixit Christus, suum discipulum esse non posse, qui non renuntiat omnibus, quae possidet; isti, quae habent, cum amore retinent, cum dolore amittunt, imo et aliena concupiscunt, et si nemo prohibeat, cum injuria rapere parati sunt.

Percurrat, qui voluerit, Christi Evangelium, ejusque sectatores recenseat, paucos reperiet, qui ad ejus praescriptum vivant, qui ipsum, qua par est, aestimatione et veneratione prosequantur. Sed nec legere, nec audire dignantur, et ad iniquas mundi fabulationes et insanias falsas potius se convertunt, vel ex hoc ostendentes, se ad

illos pertinere, qui verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt.

Cum igitur hominis Christiani sit, Deo fideliter credere, ejus parere mandatis, ejus consiliis obsequi; fit absque dubio, ut, qui haec spernit et conculcat, Christianus non sit. Nam inter Christianum et Infidelem non sola fides discrimen ponere, sed vita etiam et mores debent, ut vera Religio a falsa operibus distinguatur. Jam qualis fides illorum, qui sic Deo credunt, ut ejus mandata contemnant?

Horrendum veritatis aeternae edictum: Multi vocati, pauci vero electi. Matth. 20. Et certe, si accuratiori mentis oculo mundum circumspiceremus, magnam partem filiorum Adae infidelitatis erroribus involutam, et peccati vinculis constrictam videremus, ubi ad aeternam festinant damnationem, salutis aeternae incurii, et damni istius omnino immemores. Et tamen nemini jactura haec dolet; sicuti enim propriam salutem negligunt, ita neque

alienae satagunt. Et sicut in eis fides mortua est, et amor divinus deficit; ita animas a Deo conditas, et Christi sanguine redemtas aeternum perire, non curant.

Hanc adeo pestilentem incuriam salutis amaris suspiriis te quoque, benevole Lector, prosequi velim, si tuae et proximi salutis cupidus es. Etenim dubium plane non est, quin is, qui voluntarie felicitatis et vitae aeternae obliviscitur, in evidenti jam periculo versetur, eam amittendi. Certum enim est, hanc oblivionem et incuriam ex eo nasci, quod homines nimium sint dediti superbiae vitae, concupiscentiae oculorum, et concupiscentiae carnis. In his omnis animae vis et facultas expenditur, et omne vitae tempus teritur, ita ut locus non sit, neque animus, de aeternae vitae beatitudine vel cogitare. Pro terrenis bonis plena sunt omnia litibus, bellis et dissidiis; multi eapropter in ipsam mortem ruunt; aeternae autem

vitae nec meminerunt, neque ejus cura aguntur, ac si revera irrationales essent, omnemque beatitudinem in hoc positam haberent, ut huic nonnisi saeculo vivant. O dolorem omnium maximum! O infelicitatem horrendam!

Tu itaque, B. Lector! meliorem animum inducito, nil pro salute aeterna detrecta, nil amarum nimium, aut onerosum puta, licet per ignem transeundum foret. — Piis conatibus tuis deservient sequentes paginae et pia in diversis exercitia, dummodo constanter in jugem praxim fuerint a te deducta.

DE DEVOTIONE.

Arida est omnis oratio, quae devotionis aqua non irrigatur; corruit omnis structura bonorum operum, ni hoc munimine fulciatur; hujus olei pabulo deficiente fatuarum virginum lampades extinguuntur. Est autem devotio fervida mentis in Deum directio, quae quidem non consistit in dulcedine, compunctione et teneritudine cordis, sicut putant aliqui, nam ista sunt potius effectus devotionis; sed ipsa devotio est specialis quidam actus pertinens ad religionem.

Per devotionem omne bonum in cor nostrum immittitur. Per hanc enim zelus justitiae accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur. Haec est unctio spiritus, docens omnia, quae expediunt saluti; haec mentem illuminat, affectum inflammat, actiones ad virtutem ordinat, mores componit, firmat fidem, fiduciam erigit, accendit amorem, ad divinam elevat amicitiam, orationem impinguat, dat in adversis constantiam, in prosperis humilitatem, delet peccata, sublimat merita, fugat daemones, laetificat angelos, aedificat proximos, instruit errantes.

Ergo devotioni studiose incumbendum est, quae cum difficilis acquisitu sit ob naturae humanae corruptionem et pravos habitus, adjumenta quaedam seligenda sunt, quae praesidio nobis sint ad eam facilius comparandam, et tenacius possidendam.

Adjumenta devotionis sunt:

1. Fervens et efficax ejusdem devotionis desiderium. Initium enim sapientiae, concupiscentia ejus, et invenitur ab his, qui quaerunt illam.

2. Custodia cordis ab inutilibus cogitationibus et ab effectibus terrenis.

3. Jugis Dei memoria; nam continua Dei recordatione turpes animae passiones recedunt; ubi vero memoria Dei abest, ibi tenebrae dominantur, omnisque res improba exercetur.

4. Frequens usus aspirationum, quibus tanquam subjectis lignis in altari cordis ignis devotionis succenditur et conservatur.

5. Frequens lectio spiritualis et oratio. Qui vult semper esse cum Deo, frequenter debet orare, frequenter et legere; nam cum oramus, cum Deo ipsi colloquimur; cum vero legimus, Deus loquitur nobiscum.

6. Sensuum exteriorum custodia. Semel amissa ob licentiosam sensuum evagationem gratia devotionis — nonnisi post longos labores ac frequentes deprecationes recuperatur.

7. Solitudo. Dicit enim Dominus Oseae 2, 14. Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus. Secede ergo, sed plus mente, quam corpore; secede intentione, devotione, spiritu. Solitudo est locus, in quo negotia coelestia facilius peraguntur; est via, per quam in paradisum ingressi sunt, quotquot ad culmen perfectionis ascenderunt.

8. Opera misericordiae promovent pariter devotionem.

9. Certum tempus quotidie devotioni assignandum, et perseverantia in spiritualibus exercitiis semel assumtis, ut non temere mutentur, ut sine causa non omittantur, nec ultra tempus praescriptum differantur. Fastidientis stomachi est, multa degustare, et nullo cibo contentum esse. Arbor saepius translata non proficit, sed arescit. Absque perseverantia nec, qui pugnat, victoriam, nec victor palmam consequitur. Non qui coeperit, sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.

Impedimenta devotionis sunt:

1. Peccata venialia; nam minuunt charitatis fervorem, obscurant conscientiae lumen, contristant Spiritum sanctum.

2. Conscientia scrupulosa, quae gignit mentis perturbationem, nebulas intellectus, cordis inquietudinem.

3. Amaritudo cordis, quae fontem dulcedinis exsiccat, charitatis unitatem scin-

dit; quia hostis est concordiae, inimica pacis, et nutrix contentionum.

4. Externae consolationes; nam praeoccupatum saecularibus recreationibus animum delectatio sancta declinat, nec misceri possunt vera vanis, aeterna caducis, ut iis pariter delectemur, quae sursum sunt, et quae super terram.

5. Curae superfluae; cum enim animus per multa diffunditur, utique in se minus validus est.

6. Curiositas; vel inquirendo in aliorum mores, unde sequuntur detractiones, suspiciones, inquietudines etc. quibus pax cordis amittitur, mentis serenitas turbatur, et perpetuis quibusdam fluctibus animus concutitur, ac in varias partes agitatur; vel inutilium librorum lectione se occupando, qua dissipatur, et post vana abit spiritus; vel in vestibus, supellectili, et superfluis ornamentis curiositatem sectando, non sine gravi spiritus dispendio.

7. Impedimentum objiciunt sibi nonnulli, qui gratiam devotionis jam habitam nulla cura vel diligentia custodiant.

Remedia contra evagationes mentis:

1. Evagationis remedium est, cum quis se distractum advertit, divinae praesentiae memoriam renovare, Deumque imaginari te objurgantem, et dicentem: Discede a me, qui operaris iniquitatem; festivitates tuas odivit anima mea. Juvat etiam

considerare Dei patientiam in tuis distractionibus tolerandis, et cavere, ne eum amplius irrites.

2. Praeservativum remedium est, ante ingressum templi vel ante orationem omnem sarcinam cogitationum extranearum deponere, et pias intentiones, devotas affectiones, ignitos fervores Deum respicientes in se excitare.

3. Remedium est, se ipsum arguere his vel similibus: Quid agis, o pretiosissima et Deo dicata anima, ut coelestibus relictis — terrenis occuperis? Vae tibi miserae, quia in conspectu Dei vanis cogitationibus distraheris! — Deus propitius esto mihi peccatori! — Domine, vim patior, responde pro me! — Confirma me, Deus, in hac hora! —

4. Tandem efficacissimum remedium est, involuntarias quascunque cogitationes parvi pendere, neque ob eas expellendas nimia solicitudine, quae eas auget, laborare. Quid enim perturbaris, si, cum sis homo, id pateris, quod humanum est, quod fortissimi quique experti sunt. S. Thomas ait: In spiritu et veritate orat, qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiamsi ex infirmitate mens postmodum evagetur. Quacunque ergo tentatione quis pulsetur inter orandum, persistat in bona voluntate et conatu, et desiderium hoc reputabitur pro effectu orationis, etiamsi pravas et sordidas cogitationes, quae incidunt, penitus ejicere non posset.

De praeparatione mentis ante orationem.

Nulla actio Religionis majoris momenti est, nulla majoris obligationis, quam oratio. Ea tamen est salutis nostrae incuria, qua plurimum laboramus, ut omnia negotia et studia saecularia accuratissime peragamus, sacras vero precationes perfunctorie omnino, mente distracta, ac prorsus aliud agendo persolvamus, Dei cultum non sine magno aeternae vitae discrimine negligentes. Vae talibus! Parum enim est, exteriora Religionis exercitia peragere, si externis actibus internas spiritus operationes copulare nesciamus.

Oratio, etsi secundum se opus sit excellentissimum: si tamen necessariis conditionibus careat, nequaquam Deo placere poterit. Conditiones orationis necessariae sunt, ut reverenter, ut attente, ut devote preces persolvamus. Id versetur in corde, quod ore profertur, et tantam saltem attentionem adhibeamus cum Deo loquentes, quantam cum aliquo Principe haberemus, si coram illo de rebus terrenis tractaremus. Quomodo enim te a Deo audiri postulas, cum te ipse non audis? Quomodo desideras Deum esse memorem tui, cum rogas, quando tu ipse tui non es memor? Oratio est quaedam hominis ad Deum dulcis, laeta et familiaris allocutio. Ideo indignum est, ut, quamdiu anima cum Deo sermocinatur, alio se divertat.

Cum vero sine praeparatione animi vix

opus aliquod bene succedat; hinc quoties ad orandum accedis, memor esto, ut praevie animum praepares, juxta illud Eccli. 18. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Duplex autem est praeparatio: remota et proxima.

Remota praeparatio consistit in vita proba et pia; valde enim sibi haec duo congruunt, ut oratione operatio, et operatione oratio fulciatur. Item ad remotam praeparationem spectat, non solum immunem esse a peccatis, sed etiam a pravis affectionibus et externis tumultibus liberam habere mentem et cor expeditum.

Ad hanc libertatem animae assequendam nihil utilius silentio; nam in multiloquio non deerit peccatum, et qui custodit os suum, custodit animam suam. Taciturnitas est mater orationis, imo silentium est custodia virtutum.

Praeparatio proxima est, quae jam instante piarum precum hora fieri debet. De qua Richardus Victor: Scimus, quia intime et devote nunquam mens orat, quae se ad devotionem studiosis praemeditationibus prius non excitat. Quod sic fieri poterit:

Adora interne Deum, et excita intentionem, illi soli placendi, et fidele obsequium praestandi.

Reflecte te ad praesentiam Dei, et imaginare tibi Deum inter supernos cives in suo throno residentem, paratum ad audiendam orationem tuam.

Suspira ad Deum tibi praesentem, ut te gratia sua adjuvet, quae est nobis necessaria ad omnes actus supernaturales eliciendos, inter quos oratio habetur.

Quod oratio omnino sit necessaria ad salutem, ex multiplici Christi et Apostolorum exhortatione ad orandum colligitur. Nullum vero hominum credimus salutem suam posse operari, nisi Deo auxiliante; quia nemo potest ad me, ait Christus, venire, nisi Pater meus traxerit eum. Itaque pro gratia auxilii divini, ut reverenter, attente et devote oremus, Deus est exorandus.

Stat quidem Dominus semper ad ostium, et pulsat, si forte sit aliquis, qui audiat et aperiat; sed optat et postulat nihilominus instanter a nobis exorari, ut, quod ab initio et ante saecula misericorditer tribuere decrevit, et precibus nostris invocatus praebeat, et non solum secundum praepositum ejus, sed etiam secundum nostram cooperationem coronemur.

EXERCITIUM MATUTINUM.

Mane evigilando mox Deum in corde adora.

Sit prima vox tua, quae postrema futura sit: Jesus, Maria, Joseph. Tum mentem ultro ad Deum eleva, ne ad vana et curiosa volvenda distrahatur. Considera, ipsum esse primum principium et ultimum finem tuum, et piis affectibus ad illum aspira. Cavendum enim est, ne prius corpus, quam animus evigilet; multi enim sunt, quorum vigilante jam corpore anima adhuc dormit, qui videlicet multa negotia terrena peregerunt, antequam cor ad Deum erigant. Qui Deum prae omnibus diligit, ad illum protinus convertitur, et de illo cogitat.

Intuere quasi coelum apertum, et magna animi alacritate psalle cum coelestibus spiritibus sacrum trisagion dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua!

Haec, et similia dicens surge velociter, signando te signo sanctae crucis; surge cito, ac si ignis cubili injectus esset. Magni momenti est propera diligensque surrectio, e qua fere dependet divina visitatio, totiusque diei fervor et alacritas.

Dum te induis:

Ita decenter te vestias, ne cui scandalo sis. Et tunc etiam mentem piis cogitationibus occupa.

Surgendo dic:

In nomine Patris, qui me creavit, et Filii, qui me pretiosissimo suo sanguine redemit, et Spiritus sancti, qui me sanctificavit, surgo. Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pro more tuo indutus prosterne te, et Deum Creatorem tuum immensum hic et ubique praesentem humillimo corde adora.

Elicias fidem, ulterius mente revolvendo, et corde firmissime credendo: Deum esse unum, rerum omnium conditorem ac supremum dominum; remuneratorem bonorum, vindicem malorum; esse tamen in personis trinum, aeternum. Et in fine subjunge: Et haec omnia credo ac profiteor ideo, quia tu Deus, aeterna veritas, ista nobis revelasti, qui nec falli, nec fallere potes. In hac salvifica fide vivere, in hac et pro hac mori volo et exopto.

Elicias spem subjungendo: Spero vitam aeternam per fidem nobis revelatam — quia tu Deus hanc nobis promisisti, qui in promissis tuis es fidelissimus, et in omnibus exequendis potentissimus.

Elicias charitatem intra te dicendo: Amo

te, o Deus meus, ex toto corde, ex tota mente mea, unice ideo, quia infinite bonus, infinite amabilis es, omni amore ab aeterno dignissimus.

Elicias dolorem de peccatis cum proposito emendationis: Et quia te Deum meum tam bonum toties in vita offendi, doleo ex toto corde meo. Utinam te nunquam offendissem! Revoco, retracto, detestor, quidquid tota vita mea indignum oculis tuae sanctissimae Majestatis egi. Amodo in posterum abrenuntio diabolo, mundo et carni. Detestor omne id, quidquid displicet tuae voluntati. Tibi, Deo meo, sincero corde semper servire cum gratia tua exopto, et propono firmissime.

Gratias age aeterno Patri, quod te ad imaginem suam creaverit, ad fidem christianam vocaverit, et pro custodia sanctos angelos deputaverit, imo, quod pro salute hominum suum unigenitum Filium dederit. —

Gratias age Dei Filio, quod pro nobis de coelo descendens, homo factus sit, pro nobis passus et mortuus; quod SS. Sacramenta in remedium salutis nostrae instituerit; quod apostolos, presbyteros et verbi Dei annuntiatores ordinaverit. —

Gratias age Spiritui sancto pro fideli assistentia Ecclesiae Christi, et quotidianis in corda hominum piis inspirationibus; ac tandem pro omnibus a Deo hucusque in te et omnes homines collatis beneficiis.

Offer Deo Patri benignissimo

pro tantis beneficiis unigeniti ejus Filii, per omnia Patri aequalis, infinita merita, omnes ejus in vita mortali sacras actiones, labores, fatigia, amarissimam passionem et mortem: Offer omnia merita et actiones B. V. Mariae, et omnium Sanctorum, et quidquid in hac Ecclesia militante, tum in illa superna triumphante fit pro gloria Dei, et fiet in aeternum. Offer te ipsum, vitam, corpus, animam, et omnes hujus diei, et totius vitae actiones.

Pete intuitu infinitorum meritorum Christi, et B. V. Mariae, et omnium Sanctorum: ut divina Majestas illuminet omnes homines a via veritatis aberrantes, ut omnes cognoscant Deum Creatorem suum, ut omnes sincero corde ei serviant, ut infideles et haeretici ad fidem salvificam convertantur, ut peccatores ad poenitentiam reducantur; ut Deus Spiritum sanctum effundat super Ecclesiae pastores et concionatores, ut verbo et exemplo gregi fidelium digne praeesse possint, ut boni in gratia Dei firmentur. Pete finalem gratiam praesertim hodie ex hoc mundo decedentibus, et animabus purgatorii a suis poenis eliberationem.

Tandem omnes tuas actiones hujus diei consecra ad Dei gloriam; pete, ne hac die in peccatum gravius labaris, et voluntatem tuam totaliter resigna, et submitte voluntati divinae, ut, quidquid ei placuerit, hoc in te hodie compleatur.

PRECES MATUTINAE.

Adoratio cum gratiarum actione.

Ante thronum gloriae tuae mente et corpore procumbens, o beatissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus-sanctus, Deus meus et omnia! tanquam figmentum manuum tuarum, a te in omnibus et per omnia dependens, omni qua possum humilitate et devotione te adoro, atque ex intimo corde tibi gratias ago pro creatione, redemtione, conservatione, pro sanctissimis Sacramentis, pro vocatione ad salvificam fidem, et pro aliis innumeris beneficiis mihi et toti mundo concessis. Praesertim vero, quia ad initium hujus diei me incolumem perduxisti. Omnes Angeli et Sancti in coelo te pro me glorificent, omnes creaturae te collaudent, et Nomen tuum gloriosum superexaltent in saecula.

Intentio et pactum cum Deo.

O Deus, summum et infinitum Bonum! En ego mancipium tuum volo omnia cogitare, dicere, facere et pati hodie et toto vitae meae tempore ex virtutis motivo tibi gratissimo, ex puro studio tibi placendi et te amandi in aeternum. Tibi offero omnes et singulas animae et corporis mei actiones, omnia verba et opera per dilectum Filium

tuum, in virtute Spiritus sancti, ut tibi, supremo Domino meo, omnem possibilem honorem, laudem, gloriam et beneplacitum praestem, et pro innumeris beneficiis tuis tibi gratias agam.

Opto toto corde, et ita firmiter statuo, ut, quoties respiravero, toties ego Te benedicam, laudem et superexaltem. Et ut toties ab omni creatura benedicaris, lauderis et superexalteris exopto, qui es Perfectissimus, Potentissimus, Amabilissimus, infinito amore Dignissimus.

Gaudeo propter opera bona, quae aliquando acta sunt, fiunt in dies, et ex amore tui fient in posterum. Laetor plurimum ob ea, quae Dominus noster Jesus Christus pro salute hominum perfecit et passus est.

Detestor et abominor omnia peccata mea, et omnium aliorum. O si possem, impedirem omnia. Dimitto etiam ex corde propter Te omnibus, qui me unquam offenderunt, vel adhuc offendent, et peto, ut des illis beatam mortem, qualem mihi ipsi opto felicissimam.

Me in manus tuas committo, ut de me disponas juxta sanctissimum beneplacitum tuum nunc et in aeternum. — Opto et desidero pro amore tui pati quaecunque, et vitam et sanguinem meum tibi Supremo Domino immolare.

Suscipe, clementissime Deus, a me haec mea desideria; gratum habe hoc meae servitutis obsequium et sinceri amoris testimonium.

Petitio benedictionis a Deo.

En procumbo ante pedes tuae divinae Majestatis: ut suscipiam benedictionem tuae magnae charitatis. Benedic mihi, amantissime Jesu, et miserere mei secundum pietatem benignissimi cordis tui; benedic animae meae, ut proficiam in omni opere bono, ut progrediar de virtute in virtutem. Protegat me regalis Divinitas, custodiat me sempiterna Deitas, foveat me gloriosa Unitas, dirigat me ineffabilis Bonitas; regat me potentia Patris, vivificet me sapientia Filii, illuminet me virtus Spiritus sancti, nunc et in aeternum. Amen.

Ad beatam Virginem Mariam.

O' Maria! Jesu Christi Domini mei sanctissima mater! tu Domina mea et praesidium meum es. Tu afflictorum solatium, tu indigentium refugium; da obsecro mihi benedictionem tuam, quam hodie, et maxime in hora mortis a te exposcit anima mea. Commenda me Filio tuo mundi Salvatori. Fiant purissimae et candidissimae manus tuae altare, in quo omnes vitae meae cogitationes, verba et opera offerantur Filio tuo, qui pro me semetipsum obtulit in cruce. In manus tuas, o beata Virgo Maria, et per ipsas nunc et in hora mortis in ipsius Creatoris manus commendo spiritum meum. Amen.

Oratio pro dono castitatis.

Obsecro te, o castissima Virgo Maria, per immaculatam conceptionem tuam, adsis mihi hodie et semper, ne contra castitatem quidquam culpabiliter mihi contingat. Ne sinas, Domine Jesu Christe, et tu, sanctissima Mater, ut propter vilem et momentaneam carnis voluptatem vestram velim amicitiam amittere in aeternum. Amen.

Ad S. Angelum Custodem, et alios Patronos.

Sancte Angele mi Custos! tuae me commendo tutelae, cui me, usque dum vixero, custodiendum divina bonitas commendavit. Duc quaeso caecum, ignorantem instrue, imbecillem conforta, pupillum tuere, errantem reduc, pigrum impelle, dormientem excita, gradientem promove, et extremam illam difficilem luctam, quae cum daemonibus et morte ipsa futura est, cum S. Michaële Archangelo, S. Josepho, et S S. Patronis meis, mihi felicem esse procura, ut in vestrum consortium migrans anima mea, cum vicerit, laete decantet laudes Deo in perpetuas aeternitates. Amen.

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae. Amen.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

ALIAE PRECES MATUTINAE.

Hora surgendi signa te cruce, et dic:

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Domine, supplex ante te procumbo; illumina oculos meos lumine sancti Spiritus, ut nunquam consentiam peccato, quod ad mortem deducit sempiternam.

Inter induendum ora psalmum:

Deus deus meus, ad te de luce vigilo; vel psalmum: Miserere mei Deus, vel: De profundis.

Vestitus dic:

Omnipotens aeterne Deus, adoro te ex corde hic et ubique praesentem; credo et spero in te, et amo te super omnia.

Laudo te, et benedico, et gratias ago pro omnibus beneficiis, quae in me omni vitae meae tempore contulisti; in specie, quod me creaveris ad imaginem tuam, conservaveris, et redemeris morte et sanguine Filii tui Jesu, quod me vocaveris ad fidem catholicam, per Sacramentorum usum justificaveris, quod Angelum mihi custodem dederis, ab omni periculo me immunem hac nocte servaveris, quod absque meritis meis hunc insuper diem concesseris ad te amandum, et tibi serviendum.

Offero tibi sacrosanctam Humanitatem Salvatoris mei Jesu. Offero tibi corpus ejus et animam, sanguinem, vitam, mortem, merita illius et satisfactiones, et omnia, quae fecit et passus est pro me. Offero tibi etiam merita beatae Virginis et omnium Sanctorum, et in unione omnium horum grandium meritorum offero tibi vitam meam, mortem, bona omnia, corpus et animam in obsequia tua; offero tibi omnes cogitationes, verba et opera hodierna et totius vitae meae, desiderans cuncta facere ad majorem gloriam tuam, in honorem bea-

tae Mariae Virginis, Angeli mei custodis et omnium Sanctorum. Offero tibi praeterea pro exaltatione sanctae ecclesiae catholicae, ejusdem incremento, conversione gentilium et extirpatione haeresium, pro parentibus meis et benefactoribus, pro amicis et inimicis, et pro animabus in purgatorii igne detentis. Offero tibi demum haec omnia in satisfactionem pro peccatis meis et totius mundi, quibus graviter es offensus, de quibus ex toto corde doleo, quod iis Tu offensus sis, quem diligo super omnia; propono firmiter cum gratia tua abstinere hodie et semper ab omni peccato, praecipue mortali, etsi mors mihi esset subeunda, et exercere me in piis operibus ac virtutibus pro viribus meis. O Deus meus, largire mihi gratiam, hoc propositum exequendi.

Sancta Maria, Mater Dei, intercede pro me.

S. Angele custos, intercede pro me.

S. Patrone mi, intercede pro me.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me.

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;

sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Ad beatam Virginem Mariam.

Sancta Maria, mater Dei! ego te hodie in Dominam, Patronam et Advocatam eligo, firmiterque statuo et propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum, ut a meis subditis aliquid contra honorem tuum unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis meae. Amen.

Virgo Sanctissima, praeserva me ab omni peccato, et si vides, me nunc non esse in statu gratiae, impetra mihi media eam recuperandi, et in ea perseverandi usque ad mortem.

Per immaculatam conceptionem et purissimam virginitatem tuam, Virgo Maria, emunda cor et carnem meam, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege, et hora mortis
suscipe.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me, ut dignus sim mori in gratia Christi. Amen.

Oratio Alexandri Papae VII. singulis diebus mane recitanda.

Adoro te, Sanctissima Trinitas, Pater,

et Filius, et Spiritus sanctus, tres personae, unus et solus Deus.

Dejicio me in abyssum mei nihili sub conspectu divinae Majestatis tuae.

Credo firmissime, paratus mille vitas fundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra Scriptura revelasti, et per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni, sive spiritualis, sive corporalis, in hac vel in altera vita; id totum desidero, spero et volo solum consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, et unica spes mea.

Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, et omnes sensus meos.

Protestor, me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae Majestatis.

Propono firmissime, impendere omnes facultates et vires meas ad servitium et gloriam tuam.

Paratus sum suscipere, quascunque adversitates mihi paterna manus tua immiserit.

Vellem me totum, quantus sum, impendere, et procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur, atque omnes homines Te glorificent, et ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summe de tua aeterna felicitate,

et exulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo collata sunt, et in dies incessanter a benignissima tua providentia conferuntur.

Amo infinitam Bonitatem tuam, propter seipsam, ex toto affectu cordis et animae meae; et vellem, si possem, amare eo amore, quo te amant omnes angeli et homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinae Majestati tuae in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae Virginis, et omnium Sanctorum, nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimo sanguine Jesu Redemtoris nostri sanctificata. Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, indulgentiarum omnium per actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus! cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, siquidem tu es, qui es; doleo quantum possum maxime de omnibus peccatis meis, illaque detestor super omnia alia mala; peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum nunquam offendendi tuam bonitatem in aeternum.

In vulnera tua me projicio, o Jesu! ibi

me absconde et defende hodie et semper; largiaris mihi gratiam videndi Tui, et amandi Te in aeternum. Jesu, Maria, Joseph! Vobis dono cor meum et animam meam.

PRECES VESPERTINAE.

Adoratio cum gratiarum actione pro beneficiis perceptis.

O sanctissima et incomprehensibilis Trinitas, Pater, Fili, et Spiritus sancte! Immense, aeterne, immutabilis, in tuis perfectionibus infinite Deus! Te adoro; in conspectu tuae divinae Majestatis ubique praesentis supplex procumbo; te laudo, te benedico, te superexalto, et ut ab omni creatura in coelo et in terra omni momento incessanter in aeternum lauderis, benedicaris, superexalteris, ex toto corde opto et desidero.

Tibi, aeterne Pater, meo et omnium in hac vita degentium nomine gratias ago, quod ex infinita clementia tua nos ad imaginem tuam creaveris, quod ad custodiam nostram sanctos Angelos tuos deputaveris, quod tua jugi divina providentia nos incolumes conserves, ab adversis protegas, vitam nobis licet ingratis et immeritis prolonges, peccantes patienter sustineas, aeterna gaudia promerendi tempus nobis indulgeas. Pro his et innumeris aliis tuis in nos indignos beneficiis, etsi non valeam, opto tamen

competentes tibi cum omni creatura referre gratias.

Tibi, o Fili unigenite, Salvator mundi Christe Jesu! meo et omnium hominum nomine gratias demississimas refero, quod pro nostra salute homo nasci, pro nobis pati, sanctissimum sanguinem fundere, et mori dignatus sis; quod sanctissima tua doctrina mundum hunc in suis tenebris plane perditum illuminaveris, quod sanctissima salutis media in Ecclesia tua sancta nobis ordinaveris, quod rectores Ecclesiae, Verbi tui divini annuntiatores disposueris, quod fideles tuos pretiosissimo corpore et sanguine tuo pascas et nutrias.

Tibi, o sancte Spiritus! meo et omnium hominum nomine gratias immensas refero, quod tuis sanctissimis gratiis et donis nos exornes, illumines, moveas, confirmes; quod Ecclesiam sanctam, Christi sanguine acquisitam, jugiter dirigas, peccatores ad poenitentiam excites, moram facientes expectes, bonos et justos in tua gratia conserves.

Pro his et aliis innumeris beneficiis tuis, aeterne Deus, in nos indignos collatis, cum ad reddendas gratias impares simus, Tibi aeternas laudes et grates referant omnes Angeli et Sancti tui in coelis. In locum nostri tibi gratias agat sanctissima coelorum regina Maria, Mater misericordiae, Domina nostra, Advocata nostra, Mediatrix nostra. Hanc, quae est ad dexteram Filii sui, supplices petimus, ut nomine nostro te, immensum

et incomprehensibilem Deum, adoret, te laudet, tibi competentes pro nobis referat gratias. Illud quoque mihi misero a divina Majestate impetret donum, ut de die in diem in obsequiis tuis proficiam, et per gratiam Spiritus sancti rescire valeam, quidquid rursus hodie in conspectu tuo deliquerim.

Hic instituatur examen conscientiae, quo finito sequatur:

Professio coram Deo.

Omnipotens aeterne Deus! cui soli debetur omnis honor, gloria et gratiarum actio. En ego perfidus peccator, hactenus semper ingratus, prosterno me in conspectu excelsae Majestatis tuae, et confiteor adversum me injustitiam meam. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; etiam hodierna die plurima ingratitudine mea te offendi; Te, Deum meum, super omnia non dilexi, donis et gratiis tuis non correspondi, tempus mihi concessum debite in tuis obsequiis non impendi, et cum totus in amore tuo et obsequiis esse debuissem, tepidus, negligens et indevotus extiti.

Pudet me tot annis vitae meae tam indigne, tam tepide et negligenter vixisse; ingemisco et doleo.

Dolorem de peccatis elicias:

Doleo, quod adhuc tam carnalis sim et mundanus, tam immortificatus in passionibus, tam incustoditus in sensibus, irretitus vanis et superbis cogitationibus; tam durus

ad compunctionem, segnis ad rigorem; tam tardus ad fervorem, parcus ad humilia, cupidus ad multa; tam inconsideratus in loquendo, difficilis in tacendo; tam tardus ad bonum, pronus ad iram et apprehensionem; tam caecus in amore proprio, frigidus in amore Dei et proximi; tam debilis in adversis, inconstans in bonis propositis.

Indignum igitur est, ut ad te, Deus meus, oculos levem; verumtamen quo fugiam? Domine Deus meus, ubi me ab ira tua abscondam? — Sed licet me indignum nomine Filii profitear, agnosco tamen non alium Patrem, nisi te Dominum Creatorem meum. Quapropter ad pedes tuae divinae clementiae prostratus misericordiam imploro. Ignosce mihi, parce peccatis meis, Deus meus, ob infinitam misericordiam tuam et infinita merita Jesu Christi, Salvatoris mei. Da mihi obsecro poenitentiae lacrymas; frangas quaeso saxeum pectus meum, et inflamma cor meum; separa me ab omnibus, quae me possunt separare a te. Et ego tua divina gratia adjutus volo et propono omne peccatum evitare, tibi in dies fidelius, et usque ad ultimum vitae meae momentum constanter servire.

Cor Jesu dulcissimum! tibi commendo hac nocte corpus et animam meam, ut in te dulciter requiescam.

Ad beatam Virginem Mariam.

O refugium peccatorum! Maria mater

gratiae, mater misericordiae! Ego peccator et indignus servus ad te, matrem gratiae, recurro, tuum maternum patrocinium imploro. Tu es mater Salvatoris, sis etiam mater exulis; tu mater es judicis, esto mater et peccatoris; tuo igitur Filio me reconcilia, tuo Filio me repraesenta, tuo Filio me commenda nunc, et praesertim in hora mortis meae. Amen.

Alia oratio.

In tuam maternam pietatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima Virgo Maria! Et quoniam ego jam obdormiturus Deum meum laudare nequeo, tu Mater amantissima me supplere digneris, ita ut, quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes Sanctissimae Trinitati pro me persolvas, et mihi indigno filio tuo benedicere velis. Amen.

Ad sanctum Angelum Custodem et alios sanctos Patronos.

O dilectissime sancte Angele Custos! O vos sancti Patroni mei! Obsecro, hac nocte defendite me, et incolumem servate, ac pro me dormiente incessanter Deum laudate, mihique vestram benedictionem, quam humillime exopto, largiri dignemini. Amen.

Pater. Ave. Credo.

Inter exuendum et decumbendum assuesce sequentes mente et corde recolere

Salutationes SS. Membrorum Christi.

Ave tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri Jesu Christi pro nobis spinis coronatum, et arundine percussum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave speciosissima Salvatoris nostri Jesu Christi facies, pro nobis sputis illita et alapis caesa.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Avete benignissimi Domini Jesu Christi Salvatoris nostri oculi, pro nobis lacrymis perfusi.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave mellifluum os, gutturque suavissimum Domini Jesu Christi, pro nobis felle et aceto potatum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Avete aures nobilissimae Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis et opprobriis affectae.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Avete venerabiles Domini nostri Jesu Christi manus et brachia, pro nobis in cruce extensa.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave pectus mitissimum Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave latus gloriosum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Avete sacra misericordiae genua Salvatoris nostri Jesu Christi, pro nobis in oratione flexa.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Avete Domini nostri Jesu Christi pedes adorandi, pro nobis clavis affixi.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave totum corpus Domini nostri Jesu Christi, pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum et sepultum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave sanguis pretiosissime, de corpore Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis effuse.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ave sanctissima Domini nostri Jesu Christi anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

ALIAE PRECES VESPERTINAE.

Gratiarum actio.

O infinita Bonitas! gratias ex intimo corde ago tibi pro omnibus beneficiis, quae mihi indigno hodie et tota vita mea tam liberaliter contulisti. Sit tibi laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Petitio luminis.

O Sapientia aeterna! in multis offendimus omnes, sed delicta quis intelligit? Tu, o lux vera, illumina tenebras meas, ut videam et sciam, quid desit mihi. Tu nosti omnia abscondita cordis, et omnes gressus meos consideras. Da ergo, ut quidquid hodie contra Te cogitando, loquendo vel operando deliqui, id plene recogitem tibi in amaritudine animae meae.

Discussio conscientiae.

O scrutator cordium et renum Deus! infelix ego peccavi hodie in coelum et coram te. Et quomodo possum celare te, qui praevidisti omnes vias meas, et intellexisti cogitationes meas de longe? Quid faciam tibi, o custos hominum? Heu mi Domine! Peccavi, et delicta mea a te non sunt abscondita. Sed et si meipsum dijudico, reprehendit me cor meum, in his maxime.

Hic examina conscientiam tuam, eoque totius diei decursum repete: ubi fueris, quibuscum egeris, quid cogitaveris, dixeris, feceris, expende. Sed memento pro ratione status, officii, seu vocationis tuae examen instituere; sic facile, quid commissione, quid omissione peccaveris, agnosces. Item, quid in exercitio virtutis tibi magis necessariae, quid in exterminatione vitii tibi magis infesti profeceris, dispice.

Petitio veniae.

O pater misericordiarum, qui non laetaris in perditione peccatorum; respice me secundum multitudinem miserationum tuarum. Ego omnes offensas hujus diei et totius vitae meae depono in abyssum aeternae charitatis tuae, qua dilexisti nos. Doleo ex intimo corde meo, me tam ingratum fuisse tot beneficiis tuis, et toties te Deum et summum bonum offendisse. Precor per mortem et amorem filii tui Jesu Christi, parce misero, et dimitte mihi clementissime, quidquid hodie vel unquam in Te, proximum, et meipsum peccavi.

Propositum emendationis.

O potentissime Deus, sine cujus numine nihil est in homine! Coram te et omni curia coelesti propono firmiter, exactius regulam voluntatis tuae sequi, mores corrigere, vocationi meae propius attendere, peccata simul ac pericula fugere.

Verum haec ego quidem volo, sed sine te non valeo. Tu ergo, qui das Velle, adde Posse ac Perficere. Da, quod jubes, et jube, quod vis; ut sobrie, juste et pie vivam in hoc saeculo, et aeternum te laudem cum Sanctis tuis.

Suscipe hoc desiderium meum, Domine, sicut incensum in conspectu tuo; sacrificium hoc vespertinum deprecationis meae ne despicias pro infinita misericordia tua.

Vos vero, ò sancti Patroni mei, imprimis Virgo Maria, et tu, Angele custos — et omnes Coelites, qui indefesse laudatis Deum, etiam dum ego quiesco et sileo, vos mei curam agite, et Deo me commendate, ut protegar ab insidiis hostium meorum, qui nobis dormientibus semper vigilant, parati ad nocendum. Sit Deus protector noster, et nulla nobis adversitas nocere poterit.

Domine Deus, auge in nobis fidem, spem et charitatem. Radicitus exstirpa omne peccatum et vitium, discordiam, infidelitatem, errores et hereses. Increpa errantes, converte incredulos. Schismaticos in Ecclesiae unitatem recollige, lumen gratiae tuae illis ostende. Ecclesiae tuae pastores et praepositos, caeterosque Primores, imperatorem, et omnem potestatem a cunctis adversitatibus animi et corporis custodi.

Peccatores ad veram poenitentiam converte. Justos in bono conserva, cogitationes eorum, verba et opera confirma. Miserere omnium, Domine, et in tuo servitio deditos tibi corrobora. Enutri operarios, erige maestitia pressos, infirmos cura, egentibus necessaria administra, peregrinantibus optatum largire in patriam reditum. In periculis maris constitutis portum salutis tribue, solve captivos.

Dimitte omnibus, qui mecum peccaverunt, vel quos ad peccandum impuli. Affectis per me injuria, scandalizatis, vel circumventis redde centuplum. Sanguine vel familiaritate mihi conjunctorum, parentum, fratrum,

sororum, benefactorum, quorum ope utor, qui pro me orant, qui orationi meae se commendarunt, omnium de me bene sentientium iter in via salutis dirige. Exaudi illos, in quacunque tribulatione ad te clamaverint. Inimicis nostris et nobis charitatem largire perpetuam. Sit in omnibus patientia, benignitas, misericordia. Procul sit invidia, ira et amarulentia.

Sed et, piissime Pater! miserere omnium animarum in Christo dormientium, in primis parentum meorum, caeterorumque propinquorum et amicorum, omniumque, qui in fide tua requiescunt. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Pater aeterne, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, perque viscera misericordiae tuae rogo te, concede mihi, ut in bono perseverem, et in gratia tua moriar.

Bone Jesu, per ultima in cruce verba, quibus Patri spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

Spiritus sancte Deus, miserere mei, et sancta inspiratione tua me semper, et potissimum in hora mortis meae corrobora.

Sanctissima Trinitas unus Deus, miserere mei nunc, et in hora mortis meae. Amen.

Testamentum hominis christiani quotidie faciendum.

Ego dono Deo animam meam, corpus terrae et putredini.

Lubentissimo animo exuo me bonis temporalibus, quae sunt vanitas vanitatum.

Doleo ex corde, et detestor omnia peccata mea ob purum et sincerum Dei amorem.

Condono inimicis omnibus ex corde et animo.

Credo Deum, unum in essentia, et trinum in personis, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Creatorem, Conservatorem, Redemtorem et Remuneratorem, in potentia, bonitate et sapientia infinitum, et credo firmiter omnia, quae Ecclesia nobis credenda proponit.

Spero de Dei bonitate peccatorum meorum remissionem, et vitam aternam.

Amo Deum ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis.

Committo me sincere, omnimode et absolute beneplacito sanctissimae et semper adorandae Dei voluntatis, paratus ad agendum et patiendum, ad bonam et afflictam valetudinem, ad vitam et mortem, prout voluerit. Fiat sanctissima ejus voluntas. Amen.

Commendo animam meam et me totum patrocinio gloriosae Virginis Mariae, optimae Matris meae et Advocatae, S. Josepho, Angelo Tutelari, et omnibus Sanctis, quos oro suppliciter, ut mihi assistant in hora mortis meae.

Pro ultimis verbis meis pronuntio humillimo cordis affectu: Jesus, Maria, Joseph! in eorum ulnis desiderans expirare.

Quod si lingua haec sancta nomina pronuntiare nequeat, corde id facio.

Si animus cum rationis usu deficiat, dico nunc pro illa hora omni cum affectu et humilitate possibili: Jesus, Maria, Joseph! Amen.

EXERCITIUM DIURNUM.

De implantandis in anima virtutibus.

Haec maxima deberet esse solicitudo omnium, ut aetate crescentes, in spiritu pariter cresceremus, et de virtute in virtutem progressus faceremus. Sed daemone difficultatem in obtinendis virtutibus aggerente, et carne ab adolescentia in malum propendente, nunquam aliquid incipimus; fluunt anni post annos, et quia non est cura, ut in virtutibus crescamus, ideo torpescendo de anno in annum in pejora ruimus, atque ita evenit illud Apoc. 22. Ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Nempe illum, qui arripit exercitium virtutis, et studet in semetipso pias implantare consuetudines, hae ipsae jam introductae suaviter amplius et amplius promovent ad Deum. Et qui sordidus est, sordescat adhuc; nempe, qui tepescit, qui nunquam aliquid incipit, qui non satagit bonum habitum ex piis frequentatis actionibus acquirere: ex frequentatis torporibus et socordiis

acquiret malum, ex quo sordidus, et quo diutius vivet in mundo, sordescet adhuc.

Si quolibet mense, vel adminus intra annum unam solum virtutem addisceremus, vel piam aliquam consuetudinem in nobis implantaremus; decursu vitae nostrae perfecti Christiani evaderemus. Sed eheu! in aliis ut perficiamur, desudamus, dies, noctesque insumimus, et ut boni et virtuosi simus, cum ingenti animae nostrae detrimento negligimus.

Fratres, dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 6.

Remedium efficacissimum ad assequendam omnem perfectionem, et quasi fundamentum vitae spiritualis est, Deum jugiter praesentem mentis oculis contemplari. Nullum exercitium hoc praestantius, nullum utilius. Haec jugis Dei repraesentatio purgat et retrahit a peccatis, contemtum parit rerum humanarum, sensus corrigit, mentem sanctificat, et est quaedam in terris repraesentatio coelestis beatitudinis, in qua Beati perpetua Dei visione perfruuntur.

Sicut nullum est momentum, quo non utaris vel fruaris Dei bonitate et misericordia; ita nullum esse oportet, quo eum praesentem non habeas.

Triplex est modus Deum praesentem concipiendi. Primus modus est imaginarius, et iste quidem est imperfectus, qui fit vi imaginationis, cujus maxima fingendi est potestas. Hoc modo contemplari potes, et praesentem semper habere Christum Dominum

in assumta humanitate, sive jacentem in praesepio, sive spinis coronatum, sive crucifixum, qui te videat, te consideret, omnes actus, sermones et cogitationes tuas observet. Attamen huic modo non erit insistendum, ne fias inhabilis ad alios actus magis spirituales, et minus periculis obnoxios.

Secundus modus perfectior est, qui fit per intellectum, concipiendo Deum ubique preaesentem per Essentiam et Potentiam; coelum enim et terram implet sua immensitate. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, tuum cor et renes scrutatur. Omnia movet, sustentat et regit, et omnia in omnibus operatur. Et quomodo non timebis et amabis eum, cum omnia opera tua videat? Quaecunque facis, ille melius perspicit, quam tu facis.

Tertius modus perfectissimus est per actum amoris, per intimam cum ipso unionem. »An nescitis, inquit Apostolus, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est.« I. Cor. 6, 19. — Adorna igitur animam tuam, et fac eam idoneam Dei sanctissimi habitationem; ibi decenter et sancte cum eo age. Quid vagaris extra te ipsum ad bona apparentia creaturarum, cum in te sit fons indeficiens omnium bonorum? Quaere eum intra te ipsum, tutius enim est, quam eum quaerere in creaturis, quarum externa species saepe te allicere et impedire potest, ne ad Creatorem ascendas.

Quocunque autem modo Deum praesentem consideres, crebris ad eum aspirationi-

bus tanquam ad finem tuum assurgendum est, eliciendo actus adorationis, fidei, spei et charitatis, et ad ejus unionem suspirandum; propterea studendum est puritati cordis, scriptum est enim: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.« Matth. 5.

Licet autem Dei praesentis memoria semper necessaria sit, quia tamen plurimae sunt humanae mentis evagationes, eam saltem aliquoties in die omni studio renovare debes, nimirum summo mane, ante orationem, cum imminet aliqua peccandi occasio, ante laborem, vesperi.

Deus ubique in omnibus adorandus.

S. Paulus Apostolus ad Col. 3 exhortatur: »Omne, quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.« Docet nos itaque, et monet, in omni opere nostro semper memores esse Dei, et nos gratos exhibere jugiter. Sive ergo comedas, sive labores, sive quiescas, sive dormias, sive vigiles, quolibet tempore, in omni loco, in omni negotio, ubique Deum adora, reverere et suspice summum et omnipotentem Dominum, qui omnia replet, omnia gubernat, omnia conservat. Recognosce Deum ubique praesentem, lauda eum, gratias age, et offer ei omnia ad majorem ejus gloriam.

Fides operibus comprobatur.

Basis omnium virtutum et totius christianae vitae fundamentum est fides, sine qua nemo potest placere Deo. Haec est sapientia, quae domuit orbem, cui firmiter adhaerendum est. — Crede autem, et operare, quia fides sine operibus mortua est. Sermo tuus et professio jactitant fidem; pave, ne vita et mores praedicent infidelitatem. Credis Evangelium; cur non obediens es Evangelio? Credis vitam aeternam; cur non peragis opera aeterna beatitudine digna? Quid prodest credere vera et bona, si tu mala operaris? Vix fieri potest, ut bene credat, qui male vivit; ille enim vere credit, qui exercet operando, quod credit.

In solo Deo ponenda spes.

Cum certissimum sit, Dei providentia omnia disponi et gubernari, adeo ut nec passer de coelo, nec folium de arbore cadat absque ejus nutu et voluntate; ipsi te totum trade omni fiducia, nihil dubitans, quin opportunum ad res omnes auxilium sis accepturus, teque regi absque ulla anxietate sinas a Deo. Etsi res accidant inopinatae, quibus actionum tuarum et consiliorum tuorum series turbari et praecidi videatur; ne despondeas animum, sed spe divina munitus ejus te regimini subjice; nam per hos casus, per haec discrimina ad illum finem te divina sapientia perducit, quem tibi ab aeterno destinavit. Non sentit ma-

lum praesens, qui summa bona sperat. Tantum potest homo, tantum habet, quantum sperat et credit.

Charitas erga Deum.

Charitas, omnium virtutum forma et regina, et Deum respicit, et proximum. Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, super omnia est diligendus pure propter suam infinitam bonitatem. Quod sis, quod vivas, quod movearis, quod sentias, quod intelligas, Dei gratia est. Ipse te creavit, et a servitute peccati te redemit; ipse animam tuam innumeris praerogativis nobilitavit; ipse tibi vitam aeternam nullis praecedentibus meritis praeparavit. Coelum, terra, aër, aqua, et omnia, quae in eis sunt, quotidie magna voce clamant, ut summo Deum amore prosequaris, a quo propter te creata sunt. Cur per multa vagaris quaerendo bona animae tuae? Ama Deum, summum bonum, in quo omnia bona invenies, quae desiderat anima tua.

Amor proximi beneficiis ostenditur.

Omnes homines eundem Patrem Deum venerantur, et ad eandem fidem et gloriam sunt vocati. Non amat Deum, qui non diligit fratrem suum. Amor autem proximi beneficiis ostenditur. Actus dilectionis erga proximum sunt: beneficia omnibus conferre, omnibus prodesse, omnes amore praevenire. Inter actus christianae beneficentiae praecipuum locum tenet eleemosyna, qua

ſides probatur, peccata redimuntur, coelum emitur. Cave ergo, ne despicias pauperem, qui, cum sibi egenus sit, te facere divitem potest. Peccatis tuis venumdatus es; redime te pecunia tua; fac de instrumento avaritiae subsidium misericordiae. Cave, ne parcens pecuniis tuis reus sis sanguiuis fratris tui; si non pavisti, occidisti.

Cogitas, quam bene alii post te vivant, et non cogitas, quam male tu moriaris. Satius est, deesse aliquid haeredibus tuis de patrimonio, quam tibi de salute. Inspice rationes tuas, vide, quid in aeterna patria possideas. Ex omnibus rebus tuis id solum in morte reperies, quod per manus pauperum in coelum praemisisti. Invadere domum hostis potest, coelum non potest.

Actus fidei, spei et charitatis ex obviis rebus eliciendi.

Anima christiana lumine fidei bene imbuta, et Christi doctrina bene illustrata, quae assuescit juxta lumen fidei vivere, facile ex obviis rebus in actus virtutum prorumpit, et se ipsam frequentius per actus fidei, spei et charitatis in Deum elevat; invenit enim in omni objecto, quid ex eodem ad Deum referat; et sicut apis ex flosculo, sic ipsa ex omni re piam cogitationem veluti mel eruit.

Serviunt omnes creaturae devotis animabus adinstar speculi, in quo statim Dei Creatoris sui eis reflectitur divina potentia, infinita sapientia, admiranda circa omnem

creaturam providentia. Haec et alia ex omni re creata mox in Deo piae animae contemplantur; et sicut avis alis suis parat ad volandum, sic illae actibus fidei, spei et charitatis veluti alis mox in altum ad ipsum Deum se sublevare nituntur.

De officiis justitiae christianae.

Duo esse officia christiani hominis, regius Psaltes enuntiat Psal. 33. Diverte a malo, et fac bonum. Non ergo putet aliquis, satis se bene servire Deo, si non peccat. Sed ultro sciat se obligatum ad obsequia Deo praestanda, sive ad bona opera. Sicut enim servus ille, qui nil mali quidem agit, sed Domino suo non laborat, et otio tempus consumit, revera servus inutilis est; ita et Christianus, qui peccata quidem devitat, sed vitam otiosam sine bonis operibus ducit, aeque servus coram Deo inutilis est, neque regnum Dei promereri potest. Utrique itaque obligationi satisfaciendum est; oportet declinare a malo, oportet et facere bonum.

Quomodo a malo declinandum.

Ut securius et facilius homo peccatum declinet, sive a malo divertat, oportet etiam occasiones et pericula peccati declinare. Devota anima declinat omnes mundi insanias, vanitates, periculosa conventicula, suspectas familiaritates, excessivos jocos, etc. et se ipsam conservat in sancto timore, gravitate, humilitate, in perpetua sensuum

custodia ac refraenatione, in frequenti sanctorum Sacramentorum perceptione.

Curam salutis suae gerens anima non differt confessionem, usque dum collotenus in peccatis mortalibus mergatur; sed quam primum observat devotionem in se minui, fervorem tepescere, se aliqua passione de facili turbari, ne in graviora delabatur, ad confortandum animae suae statum mox ad percipienda SS. Sacramenta Confessionis et Communionis recurrit. Qui piam hanc praxim retinet, non facile in peccatum mortale labi potest.

De bonis operibus.

Bona opera, quae christianus homo exercere, et per quae vitam aeternam promereri potest virtute meritorum Christi, quorum efficacia nostra quoque opera cum Dei gratia facta evadunt meritoria, sunt triplicia: Oratio, jejunium, et eleemosyna. Quidquid enim homo cum gratia Dei boni operari potest, totum ad haec tria commode reducitur.

Oratio est mentis ad Deum elevatio, per quam intelliguntur non solum preces, quas ore proferimus, sed et omnis pia de Deo cogitatio, omne devotum ad Deum suspirium, devota Missae sacrificii, ac verbi Dei attenta auditio; item eliciti actus virtutum, fidei, spei, et charitatis, doloris de peccatis, adorationis Dei, gratiarum actionis, humilitatis, resignationis. Oratio erit, si et tuos labores manuales ad Dei gloriam

retuleris; hoc enim ipse Christus voluit, cum Luc. 18. ait: »Oportet semper orare, et non deficere.« Ad hoc ipsum S. Paulus fideles adhortabatur I. Cor. 10. »Sive ergo manducabitis, sive bibetis, sive aliud quid facietis, omnia in gloriam Dei facite.«

Per jejunium non tantum intelligitur mortificatio per abstinentiam a cibis carnalibus cum unica refectione, sed etiam omnis voluntaria corporis mortificatio, et quarumcunque adversitatum voluntaria tolerantia. Huc spectat mortificatio sensuum, et quidquid corpori nostro et appetitui contrarium est, aut moleste accidit.

Eximio itaque conatu eo tende, ut adversitatibus obviam pergas alacris; in perferendis adversis thesaurus est inaestimabilis. Omnem consolationem humanam et vanam valere jube, et patiendi desiderium frequenter in corde instaura. In hac arte, quam mundus ignorat, et aversatur, praeclare te exerce. Omnem crucem sive adversitatem occurrentem lubenti animo complectere et admitte. Ibi reconditus est thesaurus, quem mundus ignorat, et haec via brevissima est ad perfectionem, quae ab ipso Salvatore fuit Matth. 5. proposita.

Summa Evangelicae perfectionis.

1. Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum coelorum.

2. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

3. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

4. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

6. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

7. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.

8. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.

Per Eleemosynam intelliguntur opera misericordiae, quae sunt duplicia, corporalia et spiritualia.

Corporalia sunt, dum proximo in rebus temporalibus succurrimus. Et sunt septem: 1. Esurientes pascere. 2. Sitientes potare. 3. Nudos operire. 4. Captivos redimere. 5. Infirmos visitare. 6. Peregrinos hospitio recipere. 7. Mortuos sepelire.

Opera misericordiae spiritualia dicuntur, dum proximum adjuvamus in iis, quae animam concernunt, et sunt etiam septem: 1. Peccantes corrigere. 2. Ignorantes docere. 3. Dubitantibus recte consulere. 4. Moestos solari. 5. Injurias patienter ferre. 6. Inimicis parcere, vel offensam libenter

condonare. 7. Pro vivis et defunctis Deum exorare.

Similibus bonis operibus devota anima ut abundet, satagat, cum talia opera bona Deus exquiret in extremo judicio. Matth. 25. Qui pauper est, impendat se in operibus misericordiae spiritualibus.

De singularum actionum perfectione.

In hoc sita est potissima ratio profectus tui, si ea, quae quotidie occurrunt, juste et sancte peragas. Vita enim spiritualis nihil aliud est, quam series quaedam et catena bonarum exercitationum a mane usque ad vesperam. Non ergo consistit perfectio in multiplicatione operum sublimium, sed in his, quae quotidie agis, ut ea exacte et perfecte peragas. Non enim in opere, sed in modo, quo res fit, perfectio elucescit. Ad hoc autem, ut opera perfecta coram Deo inveniantur, juvabunt haec documenta.

1. Distribuendum est tempus, et singulae actiones ita ordinandae sunt, ut quantum fieri potest, omnia suis horis peragantur. Omnia sint apta statui, aetati et profectui tuo, et quae semel elegisti, ne facile mutes; dedecet inconstantia, et nocet crebra mutatio.

2. Omnia propter Deum recta et simplici intentione agenda sunt, ne a prava intentione totum opus polluatur. Ideo ante quodlibet opus bonum paulisper subsiste, et adverte, qualiter illud ad Deum referas, et ad solam gloriam ejus.

3. Cave, ne in progressu operis impuritas aliqua subrepat, ne tristitia vel impatientia ob laborem, ne delectatio vel propria satisfactio permisceatur, et voluptatis gratia expleas, quod propter Deum incoepisti.

4. Permagni interest, omnia facere coram Deo praesente et vidente, ejusque auxilium jugiter implorare.

5. Omnia agas cum debita mentis et corporis applicatione, serio conatu et omni meliore modo; nil obiter, nil perfunctorie aggrediaris, nec ullam quantumvis minimam actionem negligas, per quam Deo gloriam reddere, et tibi mereri poteris.

6. Circa exteriora ita occupari par est, ne devotionis internae spiritus extinguatur. Imo cum operibus externis semper conjungere oportet actus internos diversarum virtutum.

7. Cum aliquid agendum est, illi duntaxat operi corpore et mente incumbe, quod prae manibus habes; nam omnia tempus habent. Noli injicere de futuro opere solicitudinem, ut sic praesens male fiat.

8. Cave, ne in fine boni operis, venenum ei daemon inspergat, qui observat calcaneum. Gratias Deo age, a quo omne bonum procedit; ipsi, non tibi, gloriam adscribe. Agnosce te servum inutilem esse, et cum intimo humilitatis sensu veniam de commissis defectibus deprecare.

9. Opere peracto ne de aliorum judicio solicitus sis, nec turberis, si res minus pro-

spere successit. Deus enim non tam spectat, quid factum sit, quam quomodo? et qua intentione? Gaude potius de confusione tui, si quae fuit, et culpam detestare cum proposito emendationis.

10. Circa honestatem cordis et omnium sensuum corporis super omnia stude, et nunquam inveniaris otiosus.

11. Circa custodiam linguae studiosissimus esto, et nonnisi necessaria et honesta loquaris, et quae serviunt ad aedificationem proximi.

12. Sis solicitus non judicare in corde tuo aut ore aliquem, nisi te ipsum. Et non detrahas alicui, vel de aliquo murmures, sed magis excusa, quantum potes sine peccato et mendacio. Haec faciens evades inter fratres et pericula.

13. Versetur in corde tuo frequens Passio Jesu Christi, memoria beneficiorum Dei et tuorum peccatorum.

Denique te ipsum et omnia opera tua offeras Deo in unione illius oblationis, qua Christus Dominus seipsum obtulit Deo Patri, dum nobiscum in terra viveret. Tuas orationes ejus orationibus, et tuas operationes ejus operibus adjungas.

De lectione spirituali.

Sicut vita corporalis absque cibo materiali produci nequit et conservari:-ita proxima morti est anima, quae cibo suo, id est, lectione spirituali destituta est. Non solo pane vivit homo, ut Christus docet,

sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Sunt enim libri spirituales mystica illa mensa, quam divina sapientia proprosuit in domo, quam sibi aedificavit, abundans pane et vino, doctrina scilicet, et affectibus, quibus anima nutritur, crescit et roboratur.

Delectus librorum habendus est in tanta eorum multitudine; nec enim sufficit pios et bonos legere, sed debent praeterea tuo genio et spiritui et capacitati esse conformes, ut ita, quae leguntur, ad propriam vivendi normam dirigantur.

Certa diei hora huic lectioni est assignanda, quam praeterire nefas sit. Differri quidem aliquando poterit ex causa urgente, nunquam tamen omitti debet. Prae reliquis utilior et commodior est hora matutina.

Ante lectionem brevi oratione praepara animam tuam, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures cordis tui, quatenus possis discere, quae recta sunt, et ea opere complere. Tum lectionem aggredere pura intentione Deum clarius cognoscendi, ardentius amandi, et studiosius ei serviendi.

Eo spiritu legendi sunt libri sancti, quo sunt conscripti, spiritu nimirum charitatis, pietatis, non ut doctior, sed ut melior evadas.

Non multos libros perfunctorie, sed paucos lege accurate, cum debita mora et quiete, ut divinae illustrationi et inspirationi locus relinquatur.

Continendus est intellectus a curiositate. Scire, quod non prodest, proximum est ignorantiae.

Qui vere sapiens esse cupit, non opinioni discit, sed vitae; nec quaerit in scientia oblectamentum animi, sed remedium. Nosse gaudes stellarum cursus et vires? Ineptiies, postquam sciveris, si ignoras infirmitatem tuam. Vis ornate et eleganter loqui? Satius est, si discas tacere. Scire nova cupis? Quid magis novum, quam renovare te ipsum? Nisi quaereres supervacua, facile invenires necessaria. Scientia autem illa necessaria est, quae te bonum potius, quam doctum facit.

Ex lectione spirituali semper aliquid notatu dignum excerpe, et libello ad hoc parato excipe, quod memoriae fideliter mandetur, crebrius mente revolvatur, ignem devotionis intérdiu foveat, et detineat animam, ne aliena cogitet. Ipsam vero lectionem brevi gratiarum actione conclude, Deique auxilium implora ad id recte obeundum, quod tibi proposuisti.

De corporali refectione.

Hanc sanam et salubrem vitae formam teneto, ut corpori tantum tribuas, quantum valetudini satis est. Corpus ita tractandum est, ut animo promte pareat. Indulgendum illi, non serviendum est. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus injurias aëris et tempestatis. Major es, et ad majora natus, quam ut sis vile mancipium corporis tui. Vir probus et sapiens ejus cu-

ram habet, non ut tanquam propter ipsum vivat, sed quia sine illo non potest vivere.

Ducat te ad mensam necessitas, non concupiscentia, ne sis similis jumentis insipientibus. Inter edendum leges modestiae et temperantiae serva. Tuae refectioni nonnunquam aliquem actum mortificationis intermisce; v. g. aliquid tibi subtrahe, linguam a jocis et verbis otiosis contine.

PIAE ASPIRATIONES
PRO SINGULIS HORIS DIEI.

Hora 1. O Deus unice! quando jam tibi uni et soli serviam? Quando te unicum super omnia diligam? Unum cor habeo, hoc tibi in aeternum consecro.

Hora 2. Duas in Christo naturas, humanam et divinam, in Verbo divino unitas humillime adoro. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

Hora 3. O sanctissima Trinitas! Pater, Fili, et Spiritus sancte! Sanctifica et perfice intellectum, memoriam et voluntatem meam, ut te cum omni creatura in aeternum laudare valeam.

Hora 4. Deus aeterne! Fac me vivere semper memorem quatuor novissimorum, et de hac vita feliciter decedere morte justorum.

Hora 5. Christe Jesu! exosculor in spiritu sanctissima quinque vulnera tua

corde contrito et humiliato. Et ne te, Deum meum, quinque corporis mei sensibus offendam, in his sanctissimis vulneribus me recondo.

Hora 6. Clementissime Deus! tuere me obsecro gratia tua ab omnibus peccatis, sed plurimum a sex peccatis contra Spiritum sanctum offendentibus.

Hora 7. O consolator optime, Spiritus sancte! dignare me donis tuis septem decorare, ut ex toto a septem capitalibus peccatis possim immunis vivere. — Da mihi sanctissimis Sacramentis digne et fructuose uti, ut per ea sanctissimorum meritorum Christi possim particeps fieri.

Hora 8. O Christe Jesu! fac me participem octo beatitudinum, ut te solum Deum meum quaeram in toto corde meo, et spernam omne id, quod est mundi et momentaneum.

Hora 9. Deus immense! te jugiter laudant novem Angelorum chori in coelis, et ego ingratus non cesso te offendere peccatis in terra. O quando jam aderit illa hora felix, a qua non offendam te amplius ego peccator infelix.

Hora 10. Supreme legislator Deus! agnosco, quod tua decem praecepta saepe transgredi praesumserim; doleo ex toto corde, quod te summum Bonum offenderim. Detestor omne peccatum, et emendationem cum gratia tua propono, meque in perenne servitium tuum offero.

Hora 11. Per infinitam misericordiam

tuam Deus te exoro, ut, quamquam hora undecima, seu nimis tarde tibi servire incipiam, gratiam tamen tuam et mercedem plenam cum justis in hora mortis percipiam.

Hora 12. Rogo te, clementissime Deus, per merita beatae Mariae virginis et duodecim Apostolorum, fac me participem Spiritus sancti fructuum, ut tibi fideliter serviendo in terris, te in aeternum amare et laudare valeam in coelis.

Veritates Christianae singulis hebdomadae diebus serio recogitandae.

Die Dominica.

Deus omnia, quae in mundo sunt, creavit propter hominem, hunc autem ad imaginem suam, ut per fidem Deum agnosceret, eum amaret, eidem serviret, et post mortem aeternum cum Deo gauderet. Ad hunc finem, donec tempus est, tendere, circa id unicum desudare obligor.

Die Lunae.

Deus ubique est praesens, omnia videt, omnia scit, et sanctum Angelum custodem mihi deputavit ad salutem consequendam. Ideo in omni loco Deum timere, ipsum ubique adorare, et sanctum Angelum custodem revereri obligor.

Die Martis.

Deus pro minimo etiam bono opere

aeternam in coelis reddit retributionem, et aeternum quoque punit peccata.] O aeternitas, aeternitas! Ideo in bono me semper exercere, et malum penitus cavere et pertimescere debeo.

Die Mercurii.

Praesens vita est brevis; post mortem est aeterna, et ideo plus me solicitum esse oportet de vita aeterna, quam de hac temporali.

Die Jovis.

Mors propior semper mihi est; ultimus dies vitae meae jam mihi appropinquat. Quis scit? forte hodiernus ille est. Et ideo ita vivere debeo, ne aeternum in anima mea patiàr detrimentum.

Die Veneris.

Christus Jesus hodie pro me passus est, sanguinem suum fudit, hoc die mortuus est. Vae mihi, si tantum sanguinis pretium in anima mea perierit. Ideo volo et ego pro anima mea pati; volo patienter omnia adversa pro salute mea sustinere.

Die Sabbathi.

Dignus est Deus ob infinitam suam bonitatem, ut ex toto corde ab omnibus diligatur. Ita eum dilexit et semper diligit beata Virgo Maria, ita omnes Angeli et Sancti Dei. Ego Deum diligere nequeo, nisi etiam inimicos propter Deum dilexero. Quapropter quidquid volo mihi fieri ab aliis, hoc to-

tum ego praestare volo aliis; volo omnes in omnibus patienter sufferre defectus; non volo ipsos laedere aut offendere, sed in charitate illos tolerare.

PUNCTA DE CHRISTI VITA

per singolos hebdomadae dies contemplanda.

Die Dominica.

Recole mysterium incarnationis Christi, in quantum ipse Deus se humiliavit, dum humanam naturam assumsit. Item, qualiter beata Virgo Maria humili corde visitaverit S. Elisabetham, cognatam suam. Et sponsus B. M. V. sanctus Joseph, ignorando mysterium incarnationis Filii Dei, quomodo voluerit occulte deserere sanctam sponsam suam.

Die Lunae.

Recogita nativitatem Christi in Bethlehem, et quanta mox a nativitate sua patiatur; quam duram legem circumcisionis sufferat. A tribus regibus salutatur et adoratur, mox ad necem ab Herode quaeritur, ob quod in Aegyptum fugere cogitur.

Die Martis.

Recogita Christi reditum ex Aegypto, et quam pauperem vitam ducit cum Maria

matre et S. Joseph. Item, quomodo duodennis insciis parentibus remanserit in Jerusalem; cum quanto dolore et anxietate tribus diebus a B. V. M. matre et S. Joseph quaerebatur.

Die Mercurii.

Recogita jejunium Christi, convocationem Apostolorum, et qualiter Christus perambulabat diversa loca concionando, instruendo, viam salutis populo proponendo. Item, quanta beneficia praestabat hominibus, dum aegros sanabat, a daemone vexatos liberabat, mortuos suscitabat.

Die Jovis.

Recogita ultimam coenam Christi cum Apostolis, humillimam illam pedum lotionem, admirandam sanctissimi Eucharistiae Sacramenti institutionem. Et qualiter post coenam Christus cum Apostolis discesserit ad hortum, ibi captus, ligatus, ad civitatem ductus, apud Caipham incarceratus fuerit.

Die Veneris.

Recogita Christi passionem, quid hac die cum Christo acciderit, quomodo ex carcere mane eductus, per tribunalia circumducebatur, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, mortuus et sepultus fuit, et quam tristis B. V. Maria a sepultura filii sui hoc vespere redibat.

Die Sabbathi.

Perpende animam Christi cum SS. Pa-

tribus in Lymbo, et ejus sanctissimum corpus in sepulchro. Et qualiter summo mane die Dominica adveniens Christus ad suum sepulchrum ibi in oculis omnium reassumendo corpus suum virtute sua divina gloriose resurrexerit.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Deus rerum omnium Conditor et Gubernator nos homines creavit hunc in finem, ut hic in mundo viventes, Deum per fidem agnosceremus, agnoscendo in eum speraremus, sperando eum amaremus, et amando eum super omnia, tandem aeternum salvi essemus. Cum ergo ad salutem ex omnibus virtutibus teste Apostolo, maxime necessariae sint: fides, spes, charitas, haec tria, I. Cor. 13. fides enim nobis Deum demonstrat, spes ad inquirendum Deum nos animat, charitas Deo nos conjungit; hinc oportet hos praecipuos actus virtutum saepius elicere:

Actus fidei.

Credo in Deum vivum et verum, trinum et unum, Creatorem, Redemtorem, et Sanctificatorem meum. Credo Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. Credo, Dei Filium humanam naturam assumsisse, et nos in cruce morte acerbissima redemisse. Credo Deum remuneratorem bonorum et

vindicem malorum, qui reddat unicuique secundum opera ejus: bonis aeterna praemia, malis vero aeterna supplicia. Credo, animam meam esse immortalem, meque felicitatem aeternam sine Dei gratia consequi non posse. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli praedicarunt, quam sancta romana tenet et profitetur Ecclesia. Gratias tibi ago Domine pro revelatione tot salutarium veritatum. Secundum hanc fidem vivere, ac in ea mori statuo, quia tu Deus illam revelasti, qui, cum sis aeterna veritas ac sapientia, nec fallere, nec falli potes.

Actus spei.

Spero Deus in misericordia tua infinita, et in pretioso sanguine Jesu Christi Salvatoris mei, cum tanta charitate pro me fuso, remissurum te mihi omnia peccata vitae meae. Spero gratiam tentationes superandi, ac virtutem implantandi. Spero perseverantiam finalem; post hanc vero vitam spero, me consecuturum vitam aeternam, in qua te Deo in aeternum fruar. Spero, quia me creasti, ut salvus fierem; quia paterno me amore amplecteris; quia omnipotens, misericors, ac in promissis tuis es fidelissimus. In hac spe vivere et mori statuo.

Actus charitatis.

Amo te, mi Deus, es enim summa ac

infinita bonitas. Utinam de die in diem magis perspicerem, omni amore te esse dignissimum. Utinam omnia, quae video, audio, et quae me circumdant, ad te redamandum me excitarent. Utinam amare te possem amore illo ardentissimo, quo te amant omnes sancti Angeli et Beati in coelo, ac homines justi in terra, cum quorum omnium amore conjungo imperfectissimum amorem meum. Ex hoc amore doleo quam maxime, quod te offenderim; execror et retracto omnia peccata a me commissa. Malo potius imposterum pati omnia adversa, imo mori, quam te, amantissime Deus, ullo peccato deliberate offendere. Esto propitius mihi peccatori. Diligo etiam Domine proximum meum, imo inimicum quoque meum, sicut me ipsum, quia factura tua est, quia imago tua est, quia sanguine Filii tui redemtus est, et quia tu illum amas, et a me amari vis. Da mihi gratiam, cuncta haec proposita exequendi et perficiendi, per infinita merita Domini nostri Jesu Christi. Amen.

ASPIRATIONES ET CONSIDERATIONES ANIMAE PIAE

in morbis et adversis utiles.

O Sapientia aeterna, quae attingis a fine usque ad finem fortiter, et disponis omnia suaviter: tangis me fortiter hoc

morbo et malo corporis, sed dispone id ipsum suaviter ad gloriam tuam et salutem meam, qui omnia in pondere, numero et mensura disponis.

O Pater, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum; sed et haec infirmitas seu afflictio mea, nonne donum tuum est? An eam casui et fortunae tribuam, non agnoscens tuam providentiam? Absit hoc a me. Scio enim, quia tu gubernas omnia. Sed et tu, Domine, custodis omnia ossa nostra, unum ex his sine te non conteretur. Quin et capilli capitis nostri omnes numerati sunt apud te. In manibus tuis sortes meae. Tu percutis et sanas, vivificas et mortificas. Sive vivimus, sive morimur, tui sumus, Domine. Fiat in omnibus voluntas tua. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? quae tamen mala non erunt, si ea suscipimus ex mente Domini, qui nos corripit, ut filios, ad disciplinam. Nempe diligentibus Deum, haec ipsa mala cooperantur in bonum.

O Domine, ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Fac de me, quod placitum fuerit ante te; et quis sum ego, qui repugnem tibi? Quis enim restitit tibi, et pacem habuit? Ecce ego lutum, tu figulus. Finge, et excoque me, si ita visum tibi, in camino tribulationis, ut fiam vas in honorem.

O Medice, qui verbo curas omnes languores animae, nec minus corporis, quando id animae nosti expedire. Sana me,

Domine, et sanabor in anima; salvum me fac, et corpore quoque salvus ero. Confido in te, et non in medicis, aut ullis remediis. Illa quidem non respuo; sed nisi tu restauraveris domum ruinosam corporis mei, in vanum laborant omnes, qui aedificant eam.

Remediis ergo, si quae porriguntur, tu praesta vires, ut efficaciam suam habeant in me; sin minus, patientiam operare in anima mea; nam patientia certissimum et praesentissimum est adversus omnes morbos et mala remedium.

Sed ecce! jam agnosco te reipsa Medicum. Officium medici est, noxium humorem ab aegris corporibus expellere, amara etiam potione, aut duro quovis remedio. Id tu facis nunc, o coelestis medice, hac afflictione corporis mei. Durum quidem remedium, et ingratum, fateor, carni meae; sed intemperans et inobediens aeger crudelem facit medicum.

Nimium ego, cur negem? saepe indulsi carni meae; nutrivi eam in deliciis; multam noxiae bilis et pravi humoris colluviem contraxi. Itaque contraria forte contrariis curanda judicas. Fiat, Domine; detur caro in interitum, modo Spiritus salvus fiat. Caro nos laeta traxit in culpam, afflicta utinam reducat ad vitam. Ure, seca; modo parcas in aeternum.

Oratio ad Christum in horto orantem.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Et progressus pusillum procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

O Dominator coeli et terrae, Jesu Christe, robur, fortitudo et victoria Martyrum, qui per te insultant morti, et in morte victores exultant. Unde ergo tibi metus iste? Unde tam anxia supplicatio? Unde sudor tam mirus et inauditus, id est, sanguineus? Nonne oblatus es, quia ipse voluisti? Nonne voluntarie omnino sacrificium illud Deo Patri obtulisti?

Quis non timeat, o Domine, si times tu, quem omnia timent? Quis non concidat inanimis, si tu procidis in faciem, cui curvatur omne genu? Quis non exhorreat ad mortis aspectum, si tu, qui victor mortis es, morte appropinquante sic formidas?

Sed benedictus sis in aeternum, mi Jesu, quia ad consolationem infirmorum membrorum tuorum haec perferre dignatus es. Utique propter nos homines, et propter nostram salutem pati et crucifigi et mori voluisti. Erit tempus, cum et ego veniam in hanc horam; cum et ego in hunc hortum seu campum certaminis ingrediar. Heu

Domine, quid tunc fiet de me? Sine ope tua subsistere non potero, quin deficiam et succumbam, nisi tu mecum sis, et pugnes pro me, tu, qui laborantes et oneratos invitas ad te, ut eos reficias.

Calicem quidem tuum et ego bibere paratus sum; quomodo enim ego peccator recusabo eum, cum tu, Agnus innocens, illum prior ebiberis? Itaque deprecari eum non audeo; attamen hoc enixe precor, Domine, ut temperes mihi calicem istum, et amaritudinem ejus sic gratiae et consolationis tuae fonte diluas, ut non abhorream, nec subterfugiam, quo minus bibam illum; omnia enim potero per gratiam tuam, si me confortes. Sed et calix gloriae tuae inebrians quam praeclarus est! O ubertas domus Dei, qua inebriabuntur Electi tui! O torrens voluptatis, quo potabis amicos tuos! O patria coelestis, ubi copia sine defectu, satietas sine fastidio, gaudium sine interruptione, gloria sine invidia, securitas sine periculo, vita sine morte, bonum omne sine fine! Quid ista spes et expectatio non leniat, condiat, aut dulcoret?

Verum Domine, in his non mea voluntas, sed tua fiat. Suavem mortem non peto, sed qualem tu vis, et nosti fore ad majorem gloriam tuam et meam salutem. Totum hoc tuae pietati et voluntati committo. Si difficiliorem mihi luctam et graviores mortis angustias divina providentia tua disposuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus; sed conserva et adauge in me fidem

et spem praesentiae, bonitatis et misericordiae tuae; nec derelinquas me, Deus Salvator meus. Mitte et mihi Angelum sanctum tuum, qui in illis angustiis me consolationibus suis erigat et confirmet, omnemque virtutem inimici propulset a me, donec peracto hoc agone laetus triumphem, et merear a te coronam vitae accipere, quam promisisti diligentibus te, et perseverantibus usque in finem.

Pie Jesu! virtus mea, refugium meum, susceptor meus et liberator meus, in quem speravi, cui credidi, quem dilexi; turris fortitudinis, et spes mea a juventute mea; voca me, dux vitae meae, et ego respondebo tibi. Juva Domine, ne moreris, quia tempus est, ut pulvis in pulverem revertatur, et spiritus redeat ad te Salvatorem suum.

Tu susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum, salus mea, et benedictio mea; porrige mihi dexteram misericordiae tuae; suscipe me secundum multitudinem miserationum tuarum, nam latronem ad te in cruce suspirantem suscepisti.

Aeger sum, infirma est vita mea, et ideo ad te Domine curro medicum. Sana me Domine, et sanabor; quoniam in te confido, non erubescam.

Heu Domine! toties peccator sum, et in peccatis totus natus; parce mihi Domine, et dimitte omnia peccata mea.

Peccavi nimis in vita mea. Certe, nisi in ligno crucis redemisses nos, digna erat in inferno habitare anima mea. Sed ego,

piissime Jesu! sum pars tanti pretii; pro me fudisti sanguinem tuum, non me rejicies. Ego sum ovis, quae erravi; require me, pastor bone, ut justificeris in sermonibus tuis; nam promisisti mihi, quod, quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit. Mi Jesu! cognosco iniquitates meas, et peccatum meum contra me est semper; non sum dignus vocari filius tuus, quia peccavi in coelum, et coram te. Sed auditui meo dabis gaudium et laetitiam; averte faciem tuam a peccatis meis, dele iniquitates meas secundum magnam misericordiam tuam, neque secundum iniquitates meas retribuas mihi.

Adjuva me, Deus salutaris meus, et propter gloriam nominis tui libera me; benigne fac Domine in bona voluntate tua, ut inhabitèm in domo tua omnibus diebus vitae meae. Amen.

Die Jovis ad agoniam Christi.

Pater, si vis, transfer calicem hunc a me. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat:

Tristis est anima mea usque ad mortem. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Pater noster.

Proprio Filio suo non pepercit Deus.

Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua

Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum, qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Die Veneris in memoriam mortis Christi.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in cruce pendens dixisti: Pater! dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Fac, ut amore erga te parcam cunctis mihi male facientibus. Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Fac me ita vivere, ut in hora mortis meae eadem verba audire merear. Et qui dixisti matri tuae: Mulier, ecce filius tuus; deinde discipulo: Ecce mater tua. Fac, ut per totam vitam parentibus meis amorem exhibeam. Et qui dixisti: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Fac me dicere in omni tribulatione: Pater, miserere mei; Redemtor, subveni famulo tuo, quem pretioso sanguine redemisti. Et qui dixisti: Sitio; fac, ut sitiam veram sapientiam, virtutem et aeternam beatitudinem. Et qui dixisti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe spiritum meum ad te redeuntem. Et qui dixisti: Consummatum est; da, ut feliciter consummem cursum meum, fidem servem, et justitiae coronam obtinere merear. Amen.

Ad signum salutationis angelicae, mane, meridie et vespere.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria.

Ecce, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ave Maria.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus: Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Pater. Ave.

Vespere adde: Requiem aeternam dona eis Domine. Et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.

Ante mensam.

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Gloria Patri, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

Benedic Domine nos, et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumturi; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post mensam.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum. Gloria Patri, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Benedicamus Domino. Deo gratias.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Preces pro lucrandis indulgentiis.

Omnipotens sempiterne Deus! per poenitentiae sacramentum digne susceptum a peccatis omnibus, aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius maneam. Cum opera mea his diluendis non sufficiant, ad merita Filii tui confugio, ut indigentiae meae subveniat, promtumque me ad omnia hunc in finem praestanda offero. Suscipe haec opera mea in unione passionis ac mortis ejusdem Filii tui, et hujus indulgentiae me, licet indignum, fac participem.

Memento, Pater aeterne, congregatio-

nis tuae, quam possedisti ab initio; visita vineam dextera tua plantatam; memento Ecclesiae Filii tui, quam acquisivit sanguine suo, eamque ita adauge et exalta, ut digna compareat tanto redemtionis pretio. Respice benigne omnes hujus sanctae matris Ecclesiae filios, eorumque numero universas gentes associare dignare, ut omnes te Deum Patrem, et quem misisti, Jesum Christum, una cum sancto Spiritu, fide viva agnoscant et adorent, spe firma invocent, et charitate perfecta diligant.

Jesu, lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; fac virtute passionis tuae, ut expulsis errorum tenebris veritatis tuae lumen omnes sequantur, et in optatum Ecclesiae tuae gremium omnes confluant. Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum contra insidias et vim eorum protege, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum sit ovile, et unus pastor. Mane nobiscum Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ostende, Ecclesiam tuam aedificatam esse supra firmam petram, et portas inferi non praevalere adversus eam.

Spiritus sancte, Spiritus amoris et pacis; qui tot, tantasque gentes in unitate fidei concregasti; largire principibus christianis eorumque consiliariis unitatem et pacem. Da, ut nihil unquam moliantur, quod gloriae tuae, concordiaeque Ecclesiae adverse-

tur, sed ut unitis potius viribus ad pacis aeternae regnum populos sibi subjectos perducere studeant. Amen.

Subjunge quinque Pater et Ave.

Aliae preces pro lucrandis indulgentiis.

Deus, largitor pacis et amator charitatis! da famulis tuis Regibus et Principibus christianis veram cum tua voluntate concordiam, ut bellis, dissensionibus, et omni perturbatione submota, secura tibi serviat Christiana libertas. — Subjunge tria Pater et Ave.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui neminem vis perire; respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem. — Subjunge tria Pater et Ave.

Deus omnium fidelium Pastor et Rector, cujus spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur, quique gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti; custodi opera misericordiae tuae, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, bonorum omnium incremento augeatur, et stabili fide in confessione tui nominis perseveret; per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. — Subjunge tria Pater et Ave.

Oratio S. Thomae Aquinatis ad emendationem vitae quotidie recitanda.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, veraciter agnoscere, ardenter concupiscere, prudenter investigare, perfecte adimplere. Quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam; et da exequi, sicut oportet, et expedit animae meae. Da mihi Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar; de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel a te abducat. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi Domine omnia transitoria, et chara mihi sint omnia tua propter te, et tu Deus super omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delectet me Domine labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, et in defectione mea cum proposito emendationis dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, et tristem sine dejectione, maturum sine murositate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate; operantem bona sine praesumtione; proximum

corrigere sine elatione; ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vendicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto etc.

Oratio devoti adolescentis.

Custodi me quaeso, Pater coelestis, nunc et semper, ne in ullam peccandi consuetudinem incidam, ut necesse sit, in senectute juventutis meae crimina deflere, sed ut potius quotidie in virtutibus magis magisque proficiam, tranquilla et pura conscientia tibi deserviens. Defende me ab omnibus inimicis meis, qui mihi pericula machinantur in his, quae ad animam vel corpus meum pertinent, quique me seducere, et quae impia sunt, docere student. Ante omnia commendo tibi castitatem corporis mei, ut ea non tantum immunis sit

ab omni illicito consensu, sed ut ego eam nec per impuram cogitationem, nec per obscoenam locutionem polluam. Fac, ut parentibus et superioribus meis in obedientia et humilitate serviam, et da mihi gratiam, ut in omnibus tuam sanctam voluntatem faciam, et ad quam me vivendi rationem vocaveris, promtus sequar.

Ante studia.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Creator ineffabilis, qui verus fons luminis et sapientiae diceris, atque supereminens principium; infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque gratiam tuae benedictionis mihi in-

fundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Dominum nostrum etc.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, quae mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te omni tempore.

Da Domine servo tuo cor docile, et in disciplinis tuis instrue me, ut custodiam judicia justitiae tuae.

Ad te Domine inclino animam meam: tu ignorantias meas illumina, et caliginem oculorum meorum luce tuae claritatis illustra.

Post studia.

Benedictus es Domine Deus meus, qui illuminasti tenebras meas, et docuisti me facere voluntatem tuam. Confirma hoc, quod inspirare et operari in me dignatus es, Deus cordis mei, et pars mea in aeternum.

Ad ingressum templi.

Domine, in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

In aspersione aquae benedictae.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Vel: Hac, Domine, aqua benedicta emunda vitae meae delicta, quae summo cum dolore detestor ex tui amore.

Vel: Per hanc sanctam crucem et piissimam misericordiam suam indulgeat mihi Deus, quidquid per meos sensus deliqui. Amen.

Domo egressurus:

Vias tuas demonstra mihi Domine, et semitas tuas edoce me; perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Ingressurus domum:

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum.

Eleemosynam facturus:

Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.

Beatius est dare, quam accipere.

Qui non diligit proximum, manet in morte.

Contra vanam gloriam.

Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Amicitia hujus mundi inimica est Deo.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam.

Credo tibi, Domine mi, in te spero, ac toto corde te diligo.

Contra luxuriam.

Momentaneum quod delectat; aeternum quod cruciat.

Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.

Haec est voluntas Dei: sanctificatio nostra.

Corpus meum est templum Spiritus sancti.

Regnum Dei non est esca, nec potus.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Contra iram.

Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.

Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.

Contra ariditatem.

Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.

Domine, ante te est omne desiderium meum.

Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.
Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen tuum.

Contra curiositatem.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem.
Sonet vox tua in auribus meis.
Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Contra judicium temerarium.

Non intres in judicium cum servo tuo Domine.
Quis ego sum Domine, ut judicem servum tuum?
Nolite judicare, ut non judicabimini.
Nolite damnare, et non damnabimini.

Contra mendacium.

Da, ut custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.
Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
Vanitatem et verba mendacia longe fac a me.

Contra pusillanimitatem.

Mihi adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam.
In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Eripe me ab homine malo.

Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Contra teporem spiritualem.

Domine, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Cor meum et caro mea exultent in Deum vivum.

Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Ad cujuscunque operis finem.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Aspiratio pro quovis tempore.

Da, o Jesu, da cor, quod te cogitet, voluntatem, quae te diligat, memoriam, quae te recolat, intellectum, qui te intelligat; ut te super omnia diligam, et in omnibus tuam sanctissimam voluntatem adimpleam.

DE MISSAE SACRIFICIO.

Quamvis in lege veteri plura fuerint sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tanto perfectius complectitur, quanto excellentior, Deoque acceptabilior est victima, quae in eo immolatur.

Est igitur Missa sacrificium Latreuticum, sive honorarium, oblatum Deo, ad summum et supremum cultum atque honorem ipsi exhibendum, tanquam primo principio et ultimo fini nostro, in protestationem infinitae ejus excellentiae, dominii et majestatis, nostraeque ab eo dependentiae, servitutis et subjectionis.

Est Eucharisticum, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis collatis et conferendis ab ipso Deo, summo Benefactore.

Est Propitiatorium et Satisfactorium, quia hac oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae peccatoribus obicem non ponentibus concedit. Poenas item peccatis debitas relaxat, quia per id applicantur merita Christi, qui pro peccatis totius mundi in cruce satisfecit.

Est etiam Impetratorium omnium bonorum spiritualium, temporalium vero, quatenus ad spiritualia conducunt; nam Christus omnia quaecunque beneficia nobis promeruit.

Primum et praecipuum inter Offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per sacerdotes ministros suos, ideo dicitur Sacerdotium habere sempiternum; nam sacerdos in persona Christi, et tanquam minister ac legatus ipsum repraesentans sacrificat. Proprius minister hujus sacrificii est sacerdos legitime ordinatus. Nec valor sacrificii minuitur, etsi sacerdos malus sit; non enim fructus ex qualitate ministri, sed ex Christi institutione dependet.

De excellentia Missae Sacrificii.

Inter omnes Ecclesiae catholicae devotiones nulla est excellentior, sanctior, utilior, ac sanctissimum Missae sacrificium, in quo sacerdotes quotidie immolant divinae Majestati, non jam ut olim animalia, sed ipsum Dei filium Patri aeterno sub speciebus panis et vini ex institutione ipsius Christi Domini, et quidem in ultima coena. Tunc enim Christus sacra haec mysteria Apostolis recommendans: Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. eos sacerdotes instituit, praecepitque, ut ipsi, et qui eis in sacerdotio succederent, corpus ejus immolarent et offerrent. Ita providit, ut fideles sui haberent peculiare quid, quod futuris saeculis Deo Patri offerre possent.

Missa cum sit sacrificium, soli tantum Deo offertur, nec ulli alteri; et licet ordinetur subinde in honorem alicujus Sancti,

non tamen illi Sancto offertur, sed soli Deo in gratiarum actionem, quod talem Sanctum gratia sua adjuverit, et gloria aeterna in coelis coronaverit. Est autem honor Sancti in hoc, quod respectu ipsius Deo gratias agamus, et ipsi de felicitate aeterna gratulemur.

Quia vero in Missae sacrificio offertur Deo unigenitus Dei Filius, qui Patri aeterno per omnia est coaequalis, et unus idemque Deus; plus aestimari debet una Missa, quam omnia retro alia Deo oblata sacrificia, plus quam quod tot millia sanctorum martyrum pro Dei honore sanguinem suum fuderint. Nobis fidelibus incumbit, Missae sacrificium veluti nobilissimum in Ecclesia thesaurum plurimum aestimare, et devotissime eidem interesse. Quid turpius, et poena dignius, quam quod peccator Missae sacrificio irreverenter intersit? ubi Sancti metuunt, pavent Angeli, tremunt Potestates, et supremi spiritus faciem velant prae verecundia et reverentia.

Duplex est reverentia, interna et externa. Interna in timore et tremore, in humilitate et compunctione cordis consistit. Ad externam pertinet totius hominis compositio et gravitas huic sanctissimo operi conveniens.

Cum nonnulli fidelium gestiant, etiam plura uno die audire Missae sacrificia, plures subjicientur illud devote audiendi modi.

AUDIENDI MISSAM MODUS PRIMUS.

Veniendo ad Ecclesiam intentio.

Domine Jesu! in unione divinae illius intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi preces persolvo.

Volo orare, ut laudem et glorificem te Dominum ac Deum meum; ut placeam tibi, ut oblationem tibi gratam offeram, ut confirmer magis magisque in gratia tua.

Ut impetrem a tua infinita clementia gratias necessarias ad salutem corporis et animae, praecipue lumen intellectus, cognitionem mei ipsius, et ut in dies in virtutibus proficiam.

Ut debitam praestem satisfactionem pro peccatis meis, ut Deo serviam in sanctitate et justitia, et vitam aeternam consequi merear.

Oblatio Missae.

Prosterno me coram te, et adoro te Deum meum, hic mihi intime praesentem. Offero tibi hoc Missae sacrificium, cui devote interesse desidero, ad tuam gloriam et salutem animae meae; in memoriam ac venerationem acerbissimae passionis ac mortis Domini nostri Jesu Christi, pro vivis et defunctis, praecipue pro N. N. ad impetrandam quoque peccatorum meorum veniam, et gratiam ad salutem necessariam.

Domine! ne perdas, quaeso, animam

meam, quam filius tuus Jesus Christus prĕtioso suo sanguine redemit. Amen.

Ad Gloria.

Tibi Deo, supremo omnium rerum Domino, omnes adorationes, venerationes, gratiarum actiones et sacrificia laudis offero. Tibi uni omnis sit gloria, cui me devoveo. Veneror cum profundissima humilitate tremendam Majestatem tuam, et timeo, ne rejicias me a facie tua, ne subtrahas mihi gratiam tuam, ne ex aliquo peccato tibi hostis fiam. Et magis hoc timeo, quam ne punias me; magis timeo peccatum et offensam tuam, quam infernum. Sed tamen in ira tua ne corripias me, atque per merita Christi salvatoris mei supplico, ne unquam consentiam peccato, sed gratia tua adjutus te videre et amare merear in aeternum. Amen.

Ad Collectas.

Omnipotens sempiterne Deus! te suppliciter exoramus, ut respicere digneris de excelso Sanctuario tuo super me, parentes, fratres, sorores meas, Ecclesiaeque tuae preces, pro nobis omnibus sacerdotis hujus ministerio tibi prolatas, clementer acceptes et exaudias.

Ideo pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem in diebus nostris, aëris temperiem,

fertilitatem terrae, et quidquid sive ad animae, sive ad corporis salutem confert, tuaeque servit inprimis gloriae. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Epistolam et Evangelium.

Recogita, qualiter Christus Dominus salutem animarum zelando ipsemet obambulabat loca et regiones, populum erudiendo, et viam salutis docendo.

Ad Credo.

Credo in te, Deum meum, unum in natura, trinum in personis, Creatorem ac Dominum meum, remuneratorem bonorum et vindicem malorum, ubique praesentem, immensum, infinitum, et humillimo corde te adoro.

Credo et in Jesum Christum, Filium Dei incarnatum, redemtorem meum in sanguine et morte sua. — Credo in Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Admitto et veneror SS. Sacramenta, omnem doctrinam Ecclesiae catholicae; damno et rejicio omnes errores et dogmata, quae illa condemnavit. Opto, mi Deus, pro veritatibus fidei catholicae sanguinem fundere et mori, cujus authoritati me totum subjicio.

Ad Offertorium.

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus! hanc immaculatam hostiam, et cum illa totum cor meum, utinam immaculatum, omnes sensus et vires corporis, omnes facultates animae. Suscipe preces, vota et desideria mea, ut per hoc sacrosanctum Sacrificium exaudiri merear per Christum Dominum nostrum.

Dignare, summe Deus, hanc oblationem, quam tibi Ecclesia tua catholica per Sacerdotem votis nostris accedentibus offert, placatus accipere pro cuncto populo tuo, quem acquisivisti pretioso sanguine dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Ad Secreta.

Domine sancte Pater, qui per Jesum Christum Filium tuum novi Testamenti novam oblationem docuisti, quam Ecclesia a sanctis Apostolis accipiens, in universo mundo offert tibi Deo, rerum omnium creatori et conservatori, proferens significante mysterio primitias ex tuis creaturis et donis panem et vinum, in carnem et sanguinem dilecti Filii tui mox consecranda, ut ea oblatione repraesentet illum, qui panis vivus de coelo descendens, dans vitam mundo, sanguine et aqua de latere profluentibus lavit nos a peccatis nostris. Digneris Domine Deus hanc misericordiam nobis elargiri, ut sicuti sacris hisce mysteriis assistimus, ita sanctissimae passionis, mortis,

et omnium meritorum Christi in aeternum participes reddamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Praefationem.

Celsissime ac incomprehensibilis Deus, Rex et Domine, omni gloria, laude et adoratione dignissime! ego pulvis terrae — opus tamen manuum tuarum — in hoc sacro templo tuo Te adoro, exalto et glorifico ob infinitas perfectiones tuas. Grates item, quas pro tenuitate mea concipere possum, maximas tibi rependo pro omnibus in me collatis usque ad praesens momentum beneficiis. Da, ut digne tibi semper ac ubique serviam, et post hanc vitam in templo gloriae tuae cum omnibus Sanctis tuis decantare valeam: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt coeli et terra gloria tua!

Post Sanctus.

Oro te, clementissime Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum pro universa sancta Ecclesia catholica, pro concordia principum Christianorum, pro Episcopis, Ecclesiae tuae sanctae rectoribus, et pro cunctis in te credentibus, qui tuo amori se consecrarunt.

Ad memento vivorum.

Praesta Domine, Rex aeterne, parentibus, fratribus ac sororibus meis, quidquid vides magis ipsis necessarium atque proficuum. Praesta innocentibus perseverantiam, vere poenitentibus indulgentiam, viduis et orphanis tutelam, pauperibus auxilium, peregrinantibus felicem reditum, lugentibus consolationem, bonis, ut in bonitate semper consistant, prave agentibus et delinquentibus, ut cito se ad meliorem frugem recipiant.

Obtestor te, Salvator dulcissime, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, et per intercessionem omnium Sanctorum, praecipue B. V. Mariae, et omnium, qui tibi ab omni aeternitate placuerunt; per te, Jesum Christum, qui agnum paschalem Agnus ipse jamjam pro nobis immolandus cum discipulis comedisti, corpus tuum et sanguinem sub speciebus panis et vini sumenda eisdem tradidisti, atque id ipsum a nobis in tuae dilectionis et nostrae redemtionis memoriam fieri praecipiens instituisti.

Oro te, bone Jesu, ignosce omnibus iniquitatibus meis, et quidquid negligentiae, quidquid delicti circa hoc tremendum et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum unquam admisi; id deleas charitate, qua te nobis donasti. Accende cor meum fla-

grantissimo hujus divini Sacramenti amore et desiderio.

Ad Elevationem.

Ave verum Christi corpus, natum de Maria Virgine, vere passum et immolatum in cruce pro hominibus, cujus latus perforatum unda fluxit et sanguine; esto nobis praegustatum in mortis examine. O dulcis, o pie, o clemens Jesu! miserere mei. Amen.

Salve pretiosissime sanguis, de latere Domini mei Jesu Christi profluens, et totius veteris et novae culpae maculas diluens, ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post Elevationem.

O Jesu, Fili Dei, Deus meus infinite amabilis, qui amore mei crucifigi, et in cruce mori dignatus es. Adoro, amo, glorifico te cum Patre et sancto Spiritu omni possibili affectu, et ex animo desidero, ut adoreris, ameris et glorificeris infinities ab omnibus et in omnibus, super omnia, nunc et semper et in aeternum.

Credo in te, spero in te, amo te, et amo, quidquid tu amas, propter te. Doleo pure propter te, quod unquam offenderim te. Ignosce, indulge, supple per te. En ex hoc momento paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus sum, eroque in aeternum. Posside me, et tuae voluntati penitus conforma me.

Pater, respice in faciem dilecti Filii tui,

quem tibi in sacrificium laudis, gratiarum actionis, et propitiationis offero. Et per illius lacrymas, sudorem et sanguinem, per gemitus et suspiria, per labores et obsequia, per dolores et supplicia, per infinita ejus merita miserere mei et omnium, pro quibus mortuus est, et gratiam nobis largire, te perfecte semper amandi, tuam sanctissimam voluntatem amplectendi et exequendi in tempore et aeternitate.

Ad Memento defunctorum.

Per eundem dilectum Filium tuum miserere, misericordissime Pater, animarum fidelium defunctorum, praecipue N. N. mihi peculiariter commendatorum, pro quibus me vis orare, veniam et requiem aeternam eis indulgendo, ut te aeternum benedicant, laudent, glorificent, cui debetur omnis honor et gloria in saecula saeculorum.

Ad Pater noster.

Dicta cum Sacerdote oratione dominica subjunge:

Spem meam nullibi, nisi in te, Deus meus, repono, atque tuam Bonitatem in principio laetitiae meae statuo, de cujus manibus salutem et omnia expecto, oculosque meos in illis solis fixos teneo; meis autem viribus, laboribus et virtutibus non fido, sed nonnisi meritis dulcissimi Jesu mei, ex quibus

spero remissionem peccatorum, in tua gratia perseverantiam, victoriam tentationum, et quae in Oratione dominica ab illo petere edoctus sum.

Ad Agnus Dei.

Excita in te desiderium sumendi corporis Christi parum subsistendo, et postea subjunge:

Piissime Domine Jesu! ego ingratissimus peccator, vermis et pulvis terrae desidero te nunc suscipere spiritualiter, quia dignus non sum, ut intres sub tectum meum sacramentaliter. Propitius esto mihi peccatori, et aufer a me, quidquid odisti in me; praepara tibi gratam et dignam habitationem in me. Utinam, Domine, utinam ardentissimo tui desiderio et amore flagrarem, tibique perfecte placerem. Ecce, renuntio omnibus extra te; veni in cor meum, veni, et pasce te ipso animam meam, eamque gratia tua reple. Amen.

Ad Domine non sum dignus.

Domine, non sum dignus propter infinitam Majestatem tuam — propter maximam ingratitudinem meam — propter innumera peccata mea — ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi cu-

stodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, passionis memoria recolitur, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

Pia suspiria.

Anima Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me,
O bone Jesu, exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis et Electis tuis
Laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Ad Collectas.

Munda quaeso Domine, animam meam a malis ejus et imperfectionibus; robora eam coelesti fortitudine, et orna eam virtute. Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est. Fiat in omnibus et ubique semper voluntas tua. Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt; da mihi amare contemni propter te, et nesciri in hoc saeculo, ut in te uno, summo et aeterno bono, super omnia desiderato

sit defixa et immobiliter radicata mens mea et cor meum. Amen.

Ad Benedictionem.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super me, parentes, fratres, sorores, et omnes Christi fideles, et maneat semper. Amen.

Omnipotens, aeterne, immense, misericordissime Domine! In tuo conspectu steti, et effudi animam meam. O quid non debeo tibi laudis? quid glorificationis? Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomine sancto ejus.

O Deus meus, amo te, quia fecisti me, quia creasti me, quia ad te direxisti me; da, ut nunquam amem aliquid eorum, quae fecisti propter me, nisi solum unum te. Sed, o Deus, illuminatio mea et salus mea, non solum, quia creasti me, amo te; verum etiam, quia rationem et intellectum dedisti mihi, ut cognoscam te, et cognoscam me; quia et aliam lucem mihi dedisti, quando per donum fidei te mihi revelasti. Per hanc lucem agnosco te unum verum Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Agnosco liberalissimum bonorum remuneratorem, et justissimum malorum vindicem. In hac luce ostenditur mihi, o Pater aeterne, immensa pietas et inaestimabilis charitas tua, qua, ut servum liberares, Filium tradidisti. In hac luce innotescit mihi Filii tui ineffabilis misericordia, qua pro me redimendo factus homo, crucis supplicium subire non

dubitavit. Relucet mihi admiranda Spiritus sancti bonitas, cujus gratia in cor meum diffusa haeredem tuum et cohaeredem Filii tui me fore confido. Pro his omnibus, quid tibi Deo meo rependam, nisi ut amem te, et mandatorum tuorum nunquam obliviscar. Amen.

AUDIENDI MISSAM MODUS SECUNDUS.

Preces missae, prout a Sacerdote recitari solent.

Oratio ante Missam.

Clementissime Pater, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres, sed in passionem et mortem acerbissimam eum pro nobis omnibus traderes, atque ejus oblationem tibi gratissimam quotidie in ecclesia renovari velles: tribue mihi quaeso, huic tam admirando et tremendo Mysterio tam attente, reverenter ac devote interesse, ac si in coenaculo illo, in quo Jesus Christus hoc sacrificium novae legis instituit, vel in Calvariae loco, in quo seipsum pro salute hominum in ara crucis obtulit, praesens forem. Offero tibi illud ad majorem tuam gloriam, in contestationem supremi tui dominii et meae a te dependentiae, in commemorationem passionis ac mortis Filii tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis, atque in satisfactionem pro peccatis meis. Offero

etiam pro omnibus, pro quibus orare teneor, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te cognoscendi et amandi in aeternum. Credo in te, spero in te, amo te, Deus meus, super omnia, qui es omni amore dignissimus. Doleo de omnibus vitae meae peccatis, et propono firmiter, nunquam amplius te offendere. Largire mihi gratiam hoc propositum exequendi.

Sacerdos cum ingreditur ad altare.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Introibo ad altare Dei.

Ad Deum: qui laetificat juventutem meam.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea; quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei; ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus; quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Introibo ad altare Dei.

Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Qui fecit coelum et terram.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Deus tu conversus vivificabis nos.
Et plebs tua laetabitur in te.
Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
Et salutare tuum da nobis.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Gloria si dicendum est.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris; qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Collecta.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem; quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Rom. C. 11.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt ju-

dicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et cum ipso sunt omnia; ipsi honor et gloria in saecula. Amen.

Graduale.

Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim.

V. Benedictus es Domine in firmamento coeli, et laudabilis in saecula. Alleluja, alleluja.

V. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

Ad Evangelium.

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito; ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum C. 28.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas, in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos ser-

vare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Laus tibi Christe.

Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Credo si dicendum est.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et ex-

pecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Dominus vobiscum.

Et cum Spiritu tuo.

Offertorium.

Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus; quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Suscipe sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc inmaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti; da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine, et sic fiat

sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Veni Sanctificator omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Sacerdos lavat manus.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine; ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam; in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum; redime me, et miserere mei. Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine. Gloria Patri etc.

In medio altaris.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri; et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium Sanctorum; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, Patrem omnipotentem.

Suscipiat Dominus hoc sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Secreta.

Sanctifica, quaesumus Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem, hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. Amen.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Sursum corda. Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus. Non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia

unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Canon Missae.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata, inprimis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. Antistite nostro N. Imperatore nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. et omnium circumstantium, quorum fides tibi cognita est et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes, et memoriam venerantes inprimis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi; sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te, Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate: Hoc est enim corpus meum.

Sub elevatione adora Jesum, veniamque ab eo pete peccatorum.

Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. — Haec, quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Sub elevatione adora Jesum, gratiasque age pro sanguine ejus pretiosissimo in remissionem peccatorum effuso.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis, offerimus praeclarae Majestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae; ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum N. N. qui nos praecesserunt cum signò fidei, et dormiunt in somno pacis.

Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, te precamur; per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. — Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis; per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi

Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oremus: Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in coelis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum etc. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Domine Jesu Christe! qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti; libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas; qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Communionem.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumsimus Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta; qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postcommunio.

Benedicamus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Dominus vobiscum. — Et cum spiritu tuo.

Oremus. Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus Sacramenti susceptio, et sempiternae sanctae Trinitatis, ejusdemque individuae Unitatis confessio. Per Dominum nostrum etc. Amen.

Dominus vobiscum. — Et cum spiritu tuo.

Ite, Missa est. — Deo gratias.

Placeat tibi sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis divinae Majestatis tuae indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Dominus vobiscum. — Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Post missam.

Deus, qui mihi indigno dedisti gratiam standi in conspectu tuo, et tremendo Missae sacrificio assistendi. Suscipe vitam et mortem unigeniti Filii tui, et concede mihi, ut vivam et serviam tibi omnibus viribus corporis ac facultatibus animae. Respice, piissime Pater, proprium Filium tuum, qui pro me Caro factus est, qui pro me passus est et mortuus. Agat nunc quaeso officium Mediatoris et Advocati, ubi sedet ad dexteram tuam, ut interpellat pro nobis. Memento mansuetudinis, patientiae et charitatis ejus, et me ipsius nomine orantem exaudire digneris, quia ipse dixit: »Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.« Amen.

AUDIENDI MISSAM MODUS TERTIUS.

Oratio ante Missam.

Omnipotens, adorande, tremende, altissime Deus! Sisto me in conspectu tuo, licet indignissimus, in assistentia omnium

Sanctorum, quorum me cooperio sanctitate, atque oblationes et munera tibi offero de corde meo paupere, id est, omnes affectus, quibus divinam tuam Majestatem profundissime veneror et glorifico. Cor contritum suscipe, et dolorem meum, quod toties te offenderim. Doleo autem ex toto corde meo, praecise amore tui, quod ego vermis et pulvis terrae, tibi ingratus et perfidus fuerim.. Sed propono firmiter amplius non peccare, et peccandi occasionem omni studio evitare. Merita crucis Christi, mortemque ipsius offero, ut satisfaciam pro peccatis.

Cum Missae sacrificium sit institutum in memoriam passionis et mortis Christi; optimum foret, sub Missae sacrificio devote passionem Christi recolere ex ipsis caeremoniis Missae, quae adhibentur et observantur.

Sacerdos pergit ad aram.
Christus pergit cum Apostolis in hortum.

Sacerdos descendit ad infimum altaris gradum.
Christus recedit a discipulis ad orationem.

Sacerdos inclinatus facit confessionem.
Christus sudat in horto prostratus.

Sacerdos ascendit ad altare, et osculatur.
Christus a Juda osculo traditur.

Sacerdos accedit ad librum, et se signat cruce.
Christus adducitur ad Annam, et alapa percutitur.

Sacerdos Kyrie eléison repetit in medio altaris.
Christus apud Caipham a Petro negatur.

Sacerdos dicit: Dominus vobiscum.
Christus clementer respicit Petrum.

Sacerdos dicit Orationem et Epistolam.
Christus apud Pilatum incusatur.

Sacerdos recedit ad medium altaris.
Christus ducitur ad Herodem.

Sacerdos pergit ad legendum Evangelium.
Christus reducitur ad Pilatum.

Sacerdos calicem discooperit.
Christus vestibus exuitur.

Sacerdos offert panem et vinum.
Christus ad columnam flagellatur.

Sacerdos palla operit calicem.
Christus spinis coronatur.

Sacerdos dicit: Orate fratres.
Christus a Pilato educitur ad populum: Ecce homo!

Sacerdos dicit Praefationem.
Christus morti adjudicatur innocens.

Sacerdos prosequitur orans in silentio.
Christus Crucem bajulat ad locum Calvariae.

Sacerdos facit Memento pro vivis.
Christus mulieres flentes alloquitur.

Sacerdos elevat hostiam sanctam.
Christus cruci affigitur, et exaltatur.

Sacerdos elevat sanctum calicem.
Christus in cruce fundit sanguinem pretiosissimum.

Sacerdos facit Memento pro defunctis.
Christus se ipsum Deo Patri offert.

Sacerdos dicit: Pater noster.
Christus septem verba in cruce profert.

Sacerdos sacram hostiam dividit.
Christus in cruce moritur.

Sacerdos mittit particulam S. hostiae in calicem.
Christus descendit ad Lymbum.

Sacerdos ad Agnus Dei percutit pectus.
Multi convertuntur percutientes pectora sua.

Sacerdos sumit corpus Christi et sanguinem.
Christus de cruce depositus sepelitur.

Sacerdos dicit: Dominus vobiscum.
Christus resurgens apparet discipulis.

Sacerdos dicit: Ite, Missa est.
Christus gloriose ascendit ad coelos.

Sacerdos dat benedictionem.
Christus mittit Apostolis Spiritum sanctum.

Sacerdos legit ultimum Evangelium.
Doctrina Christi toti mundo annuntiatur.

Oratio post Missam.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar atque reficiar; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

DE AUDIENDO VERBO DIVINO.

Conciones, exhortationes, admonitiones Confessariorum, internae inspirationes — verba Dei sunt, quibus ita auscultandum est, ac si ipse Christus tibi praesens praedicaret. Quemadmodum, si illum tunc, cum viveret in mundo, et praedicaret, audivisses quidem, sed audita non fecisses, felix inde non fuisses: ita vicissim modo beatus esse poteris, dummodo, quae per verbum Dei audis, opere compleas.

Audiendi ergo sunt Concionatores, Confessarii, Superiores, quia per ipsos tibi Deus loquitur; hos reverere, neque in defectus eorum inquiras, neque eos judices. Omnes tibi sint satis facundi et eruditi, nam qui-

libet eorum Christi Domini veritatem et doctrinam tibi manifestat.

Pestilentissima lues est in hominibus saeculi, qui Evangelii praedicationem, doctrinam Christi, ipsaque Sacramenta in nulla habent veneratione et aestimatione. Horum admodum difficilis est correctio et a peccato aversio; nam cum haec contemnant, nullum ipsis superest in Ecclesia salutis remedium; unde fit, ut, quae peccatoribus poenitentibus et contritis veniam delictorum et vitam aeternam adferunt, alios, qui se doctos et sapientes et justos putant, et ipsos saepe animarum medicos ad extrema malorum deducant.

Duplex autem fructus ex Verbo Dei est colligendus. 1. Quidquid homo ex concione, Confessariorum monitione, spirituali lectione, vel interna inspiratione, mali se commisisse advertit, mox per Sacramentum poenitentiae abluere satagat. 2. Quidquid rescit, quod juxta obligationem hominis christiani, juxta officia status sui ad hoc vel illud teneatur; statim obligationi suae satisfacere satagat, et opere compleat, quod ex Verbo Dei discit peragendum.

Oratio ante Concionem aut Lectionem.

Domine, lux sapientissima, bonitas infinita, qui universorum es conditor, conservator et rector. Ecce ego indignissimus peccator adsto coram te, ut te laudem, adorem et benedicam. Doleo propterea ex toto corde, quod unquam offenderim te,

et summopere cupio emendare, quod inique egi. Ignosce mihi Deus meus, et adesto propitius precibus meis, ut huic concioni (lectioni) omni attentione et cum fructu spirituali incumbere possim — ad majorem gloriam tuam et honorem, ut placeam tibi, et consulam animae meae. Quapropter offero et consecro tibi animam meam, ut eam perficias; offero memoriam, ut eam sanctis cogitationibus imbuas; offero intellectum, ut luce tua illustratus considerare possit mirabilia tua; offero voluntatem, ut amore tuo inflammata affectus tibi gratos et mihi salutares eliciat; offero tibi omnes cogitationes, omnia desideria, omnia verba et opera, ut in his, quae tibi sunt placita, semper occupentur. Offero corpus et vitam meam, ut de me secundum beneplacitum tuum in tempore et aeternitate disponas. Respuo omnes curiositates et distractiones, et soli tibi et verbo tuo attendere cupio ac propono. Adjuva me Domine Deus meus, per intercessionem B. V. Mariae, omniumque Angelorum et Sanctorum.

Post Concionem aut Lectionem.

Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Gratias ago clementiae tuae, omnipotens sempiterne Deus, fons bonorum omnium, pro omnibus beneficiis, quae a principio vitae meae mihi indigno contulisti, signanter pro his, quae sub hac concione (lectione) in me operari dignatus es. Da Domine incrementum in virtutibus, et ignosce peccatis meis, quibus hucusque te offendi.

Oro etiam Domine Deus meus, fac me humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, in te sperantem et confidentem sine praesumtione, castum sine corruptione, obedientem sine tergiversatione, patientem sine murmuratione, virtutis studiosum sine elatione. Da mihi Deus meus cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da semper rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DE CONFESSIONE ET SS. COMMUNIONE.

Poenitentia est duplex: virtus et sacramentum. Poenitentia ut virtus est sincerus dolor de peccatis cum detestatione eorum, et proposito vitae melioris. Et in hac quidem virtute quam frequentissime ut se homo exerceat oportet, et ad dolorem eliciendum quam frequentissime assuescat,

praesertim quoties peccata olim commissa in mentem redeunt, mox per iteratum dolorem veniunt detestanda, licet per Dei misericordiam jam remissa fuissent. Sic faciebat S. Petrus, S. Maria Magdalena, et alii.

Poenitentia ut Sacramentum est ipsa oralis peccatorum coram legitimo Sacerdote confessio, quae nunquam coram Deo subsistit, quoties poenitentia ut virtus in peccatore deficit, adeoque confessio est invalida et iteranda:

Quando sponte et deliberate, sive ex verecundia, sive ex metu aut malitia tacetur aliquod peccatum mortale.

Quando defuit actus veri doloris, aut propositi.

Quando quis habet malam voluntatem se vindicandi, v. g. vel aliquod mortale peccatum repetendi, vel quando quis non habet voluntatem aliena restituendi, aut occasionem proximam, vel grave periculum vitandi.

Utilitates confessionis generalis.

1. Confessio generalis debite peracta defectus in praecedentibus Confessionibus particularibus commissos supplet.

2. Majorem dolorem simul visis omnibus peccatis in homine excitat.

3. Poenam temporalem adhuc peccatis debitam vel tollit, vel saltem mitigat.

4. Dubia et remorsus conscientiae aufert, et origines malorum clarius detegit.

5. Conscientiam miro modo serenat, et tranquillam quietamque facit.

6. Ad amorem Dei incitat, et vitam universam melius ordinat.

Incitamenta ad frequentem confessionem.

1. Qui saepe confitetur, magis securus est propter recentem memoriam, quod integre et legitime confiteatur.

2. Redditur magis cautus in evitandis peccatis, et facilius resurgit.

3. Qui saepe confitetur, magna luce illustratur non modo ad cognoscenda peccata; sed radices etiam ipsorum, quae sunt malae inclinationes, pravae affectiones, etc. facilius evertit.

4. Ex frequenti Sacramentorum perceptione eo majorem semper percipit gratiam.

5. Non solum assequitur remissionem peccatorum, sed etiam inpetrat relaxationem poenarum.

6. Qui frequenter confitetur, non ita graviter solet tentari, quia vitiosae inclinationes frequenti usu Sacramentorum eliminantur, nec daemon habet tam liberum accessum.

7. Qui saepe confitetur, semper ad mortem paratus est; nam rectam semper et securam retinet conscientiam.

Damna procrastinantium confessionem.

1. In peccato mortali perseverans Dei misericordia abutitur, qua ipsum ingratum tolerat, et ad poenitentiam expectat, et propterea gravius dein puniendus.

2. Priorum peccatorum pondere in plura semper vitia deducitur, et morbi animae magis fiunt incurabiles.

3. Omnium bonorum operum, piorum suffragiorum, indulgentiarum et plurimorum Dei beneficiorum jacturam facit. Neque in statu peccati mortalis aliquid mereri condigne potest.

4. Affectum et gustum rerum spiritualium ac omnis pietatis perdit.

5. Animo languores, taedia, nauseas molestissimas addit.

6. Fontes divinae gratiae obstruit.

7. Manifestum Dei contemtum prae se fert.

8. Dei iram et vindictam graviter in se provocat.

9. Procrastinatio poenitentiae post aliquem

lapsum saepe totam vitam prius bene traductam corrumpit, et penitus evertit.

Preces ante sacram Confessionem.

Omnipotens, sanctissime, aeterne Deus! en ego infelix et perfidus peccator, toties tibi rebellis et ingratus, rursus revertor ad te Deum Creatorem meum, accusans me ipsum, et tibi confitendo sincere cognoscens, quod omnimode tua indignus misericordia, vetera peccata novis iterum accumulavi, in servitiis tuis tepidus, negligens, indevotus, et totus a te Deo Conditore meo aversus fui.

Indignum quidem est, ut oculos meos ego adeo ingratus ad te levem; attamen ad pedes misericordiae tuae prostratus, per infinitam bonitatem et misericordiam tuam te obsecro: ignosce mihi, et adjuva me, opus manuum tuarum, per merita vitae et passionis Christi Jesu Salvatoris mei. Da mihi lacrymas poenitentiae; da mihi dolorem perfectissimae contritionis; emollias quaeso saxeum pectus meum, et amore tui inflamma cor meum.

O piissime Jesu! adjuva, obsecro, et conforta me; tu enim es spes mea. Et quantum me perturbant ac dejiciunt peccata mea; tantum me erigit et consolatur immensa bonitas, passioque tua sanctissima. Memento, quod non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. Obsecro, aufer iram et indignationem tuam a me misero peccatore, et da, ut per Sacramen-

tum poenitentiae in sanctissimo sanguine tuo ablui et mundari, et in sanctissimis tuis meritis totus innovari valeam. Amen.

Invocatio S. Spiritus.

O consolator moestorum, Spiritus sancte Deus! obsecro, dignare per merita Domini mei Jesu Christi pro me crucifixi — memoriam meam excitare, ut sciam, quidquid mihi deest, et videam, quid in me tuae displicet Majestati. Intellectum illumina, ut culparum mearum gravitatem agnoscam; voluntatem inflamma, ut peccata mea horrere, detestari et fugere queam, ac te deinceps amem super omnia in aeternum. Amen.

Examen conscientiae.

Quia peccator vel contra Deum, vel contra proximum, vel contra seipsum — cogitatione, verbo, opere, vel etiam omissione delinquit; quilibet in sua conscientia inquirat, qualiter divinam Majestatem offenderit.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus! ego vilis creatura tua te adoro. In conspectu tuae celsitudinis prostratus te humiliter deprecor, ne me perire permittas propter peccata mea; sed da mihi spatium vere poenitendi, ut per puram confessionem ac veram cordis contritionem tibi Domino meo placere valeam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O amabilissime Jesu! amor meus pro me crucifixe! amo te super omnia ex toto corde ob infinitam bonitatem et charitatem, omnesque divinas perfectiones tuas, et si possem, omnium Angelorum et Sanctorum amore te amarem; nam omni amore es dignissimus.

Dolor de peccatis.

Et quia sic te amo, poenitet me, et toto cordis affectu doleo, quod ego vilissima creatura tua contra te, optimum Deum meum, cui omne peccatum quam maxime displicet, unquam peccaverim.

O si te non offendissem! o si non egissem id, quod sanctissimae voluntati tuae et amori tuo contrarium est!

Revoco, retracto, detestor, et quantum possum, annihilo, quidquid peccavi cogitatione, verbo, opere, et omissione contra te Deum meum, summum bonum. Cupio ac desidero tota anima mea, me id non fecisse.

Heu! poenitet me iterum ac iterum, et millies, poenitebitque tota vita mea. Et quamvis nulla poena, aut nullus infernus esset; tua tamen amabilissima bonitas a me ingrato mihi sufficit offensa, ut mihi cor dolore disrumpatur, et oculi lachrymarum flumina profundant.

Propositum emendationis.

Propono firmissime cum gratia tua, sanctissimae tuae legi posthac in omnibus

obedire, peccatum quodvis super omne aliud malum vitare, peccata commissa integre confiteri, et poenitentia vera delere, proximo meo, si quid debeo, satisfacere, et occasiones te offendendi, quantum possibile est, fugere.

Condono omnibus omnias injurias et offensas mihi factas, sicuti meas tibi factas a te mihi peto condonari.

Offero tibi vitam et omnes actiones meas bonas cum gratia tua a me faciendas; offero tibi et omnes afflictiones (quas juste pro peccatis meis mereor) a me sustinendas, in aliquam compensationem tot offensarum et injuriarum a me tibi allatarum.

Insuper offero tibi intensissimos compunctionis, contritionis et detestationis affectus, quos unquam vere Poenitentes, et sua, vel aliena peccata Deflentes elicuerunt, aut deinceps elicient, quos omnes ego elicere desidero.

Offero inquam haec omnia in unione lachrymarum tuarum, quibus, o amantissime Jesu! nostra delicta deflevisti. Offero pro peccatis meis omnem laborem et cruciatum tuum, quibus eadem axpiasti. Offero etiam pro delictis meis omnia merita tua, per quae spero veniam peccatorum, et uberem a misericordissimis visceribus tuis gratiam, ut me emendem, et piam bonamque vitam instituam. Amen.

Actus fidei, spei, et charitatis.

Deus, creator coeli et terrae! Ego in-

dignus famulus tuus credo in te Deum meum, vivum et verum, trinum in personis, et unum in Essentia. Credo in Deum Patrem Creatorem — Filium Redemtorem — et Spiritum sanctum Sanctificatorem meum. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli praedicarunt, quam sancta romana Ecclesia catholica tenet, et in hac sancta salvifica fide contestor me vivere et mori velle, quia tu Deus illam revelasti, qui ut Omniscius nec falli, nec ut aeterna Veritas fallere potes.

Spero in tua infinita misericordia, o Deus, auxiliator unice et potentissime corporis et animae meae. Spero in pretiosissimo sanguine Jesu Christi Salvatoris mei, cum tanta charitate pro me fuso, quod sis mihi remissurus omnia et singula peccata totius vitae meae: et daturus mihi vitam aeternam, quia promisisti, qui es fidelis in promissis tuis, et omnipotens in omnibus adimplendis.

Amo te, o amabilissime Deus! summum et infinitum bonum, abyssum omnis perfectionis; amo te propter infinitam tuam bonitatem, pulchritudinem et misericordiam. Amo te, qui es omni amore et honore dignissimus. Atque utinam te amare possem omni illo ardentissimo amore, quo te

amant, et in aeternum amabunt omnes sancti Angeli et Beati in coelis. Cum quorum omnium ardentissimo amore conjungo imperfectissimum amorem meum. — Ex hoc conjuncto amore te offensum ex animo doleo; abominor, execror et retracto omnia et singula peccata totius vitae meae. Utinam, mi Deus, utinam facere possem, ut ea nunquam commisissem. Malo mori, quam te, o amantissime Deus, posthac ullo unquam peccato, praesertim mortali offendere. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem Mariam.

Ad te confugio, o refugium peccatorum, sanctissima Dei genitrix, B. V. Maria! Peccatorum meorum multitudinem agnosco, et ideo ad te veluti matrem misericordiae recurro, suppliciter exorando, ut petas a Filio tuo et Deo meo, mihi dari modo omnem gratiam ad hanc confessionem rite et debite peragendam, ad obtinendam omnium peccatorum meorum remissionem, ad instituendam in futurum vitam bonam, exemplarem, et Deo gratam. O Mater amantissima! maternum tuum patrocinium hac in re plurimum imploro et exoro.

Oratio jamjam Confessuri.

Deus, qui corda scrutaris et renes; miserere nunc peccatricis animae meae, ejus vincula clementer solve, et vulnera sana. Da cordi meo contritionem, et oculis meis

fontem lachrymarum, ut cum humilitate et cordis puritate omnes meas iniquitates digne defleam, atque sanctissimae passionis tuae fructum efficaciter in anima mea sentiam et consequar. Illumina me, Jesu Christe! et adjuva memoriae meae fragilitatem, ut omnia peccata plene, sincero et contrito corde explicare et confiteri, omnesque fructus sanctissimi Poenitentiae Sacramenti percipere valeam, ut una cum externa Sacerdotis absolutione anima mea remissionis et consolationis dulcedinem interne sentiat. Amen.

Methodus confitendi.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistae, omnibus Sanctis, et tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere; praecipue me accuso ab ultima mea confessione ante — peracta, de his peccatis:

Peccata confessus conclude:

De his ergo et omnibus peccatis meis, notis et ignotis, propriis et alienis, doleo quam maxime, quod Deum meum summum Bonum, Patrem amantissimum toties offenderim. Sed propono firmiter, amplius non peccare, peccandi occasionem evitare, pro peccatis, quantum in me erit, satisfacere, et dignos poenitentiae fructus referre.

Peto salubrem poenitentiam, et absolutionem.

Oratio post confessionem.

Sit tibi, obsecro Domine Deus, meritis beatae semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua. Et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Pii affectus.

O Deus meus, amor meus, summum bonum meum! utinam nunquam te offendissem infinite amabilem, nec offenderem posthac in aeternum.

Utinam semper perfectissime te amassem, laudassem, super omnia glorificassem. En, desidero hoc praestare ex hoc momento usque in aeternum, et hoc desiderium toties renovare, quot sunt momenta in aeternitate.

O Deus meus! o unicum bonum meum! doleo pure propter te, quod unquam offenderim te, qui es infinito honore, amore et obsequio dignissimus. Ex hoc momento omnium Sanctorum possibili affectu te amplector, amplectarque in aeternum. Da, quod jubes, et jube, quod vis.

Heu, quod tam sero te cognovi, tam tepide amavi, tam parum glorificavi. O Deus, propitius esto mihi misero peccatori. En nunc paratum cor meum ad omne beneplacitum tuum, in tempore et aeternitate.

O Jesu, Deus cordis mei! quam bonus fuisti semper erga me, quam ingratus ego semper fui erga te. Ignosce mihi, supple omnia per te, fiat in me et in omnibus semper sanctissimum beneplacitum tuum ex hoc, nunc, et usque in aeternum. Amen.

Oratio ante poenitentiam peragendam.

Domine Deus meus! nunc modicam pro peccatis mihi impositam poenitentiam voluntarie et cum gaudio Spiritus mei peragam, eamque in unione passionum tuarum tibi offero simul cum omnibus laboribus, exercitationibus et adversitatibus mei status ac officii. Obsecro, Salvator mi, ut in cor tuum haec omnia suscipiens adjungas tuis et Sanctorum tuorum passionibus et meritis, ut ea nunc et semper, maxime in hora mortis meae offeras Deo Patri in satisfactionem pro peccatis meis. Amen.

Oratio post peractam poenitentiam.

Benignissime Domine Jesu Christe! suscipe hanc satisfactionem pro peccatis meis, quae quidem nullatenus conferri potest cum multitudine ac magnitudine iniquitatum mearum, quibus te Dominum ac Deum meum gravissime offendi; sed projicio omnia peccata mea in flagrantissimum ignem

immensi amoris et infinitae misericordiae tuae, ut in illo igne conflagrent, et ut mihi ex abundantissimo thesauro meritorum tuorum, quidquid indignae huic meae satisfactioni deest, elargiaris supplex exoro; non enim in mea, sed in plenissima ac superabundanti satisfactione tuae sanctissimae vitae, passionis et mortis confido. Succurrant mihi merita tua, piissime Salvator, et ex eis supplere digneris, quidquid huic poenitentiae meae nimis parvae ac frigidae deest, ut te miserante me liberent ab omni poena peccatis debita, etiam purgatorii, quatenus divinae tuae bonitati placet, et me faciant tibi plene et perfectum reconciliatum, ut in novitate vitae tibi vivam, ac serviam secundum sanctissimam voluntatem ac beneplacitum tuum. Amen.

Contestatio Deo serviendi.

Ego coram Deo aeterno et omnibus Sanctis, postquam immensam divinae bonitatis misericordiam, quam in me indignissimam creaturam exhibuit, dum me creavit, hucusque conservavit, peccatorem sustinuit, a tot periculis liberavit, tot beneficiis cumulavit, consideravi, recogitando, quod toties contra professionem in baptismo meo nomine factam perfide vixerim, tandem in me reversus, toto corde et spiritu coram throno justitiae divinae prostratus, me mortis ac passionis Jesu Christi reum fateor, agnosco et assero, idque ob peccata, quae commisi, atque adeo me

dignum judico, ut a facie tua rejiciar et peream.

Sed ad thronum infinitae Dei misericordiae me denuo convertens, ex toto corde praeteritae vitae peccata detestor, supplex eorum veniam, remissionem et indulgentiam humillime rogo atque exoro; idque in virtute mortis et passionis Jesu Christi, Domini et Redemtoris mei, qua tanquam unico spei meae fundamento nixus, sacram fidelitatis professionem Deo meo olim in baptismo factam rursus reintegro ac renovo, diabolo, mundo et carni obrenuntio, pravas illorum suggestiones, vanitates, concupiscentias pro toto vitae meae tempore, et in aeternum detestor et perhorresco.

Me ad benignissimum et clementissimum Deum convertens desidero, propono, decerno, et irrevocabiliter statuo, quod amodo et in aeternum ei soli velim sincere servire, illum solum super omnia diligere, quem in finem ei spiritum meum cum omnibus suis facultatibus, animam meam cum omnibus viribus, cor meum cum omnibus affectibus, corpus meum cum omnibus sensibus offero et dedico, ac divinae Majestati me totum in spiritu immolo et sacrifico.

Promitto quoque et spondeo, me posthac nunquam amplius viribus et facultatibus corporis et animae, aut gratiae donis adversus divinam Majestatem abusurum, ut sic illi in perpetuum fidus, obediens et gratus sim et maneam. Nunquam hoc meum propositum revocare volam, aut frangere.

Sed eheu! si forte vel inimici suggestione, vel ex infirmitate humana, me quidquam huic meo proposito et voto contingeret contrarium facere; jam ab hoc momento contra id protestor, et propono mediante Spiritus sancti gratia, quamprimum ac percepero lapsum, resurgere denuo, et ad divinam misericordiam sine mora confugere.

Haec mea est irrevocabilis voluntas, haec intentio mea, hoc inviolabile et firmissimum propositum meum, quod sine ulla restrictione aut exceptione coram Deo meo, in conspectu Ecclesiae triumphantis, in conspectu Sancti Angeli mei Custodis profiteor et confirmo.

Tu autem, o aeterne, omnipotens et benignissime Deus, Pater, Fili, et Spiritus sancte! hoc in me propositum confirmare, et obsequium meum in odorem suavitatis admittere dignare. Et sicut ejus faciendi animum dignatus es mihi inspirare; ita quoque, ut mihi robur et gratiam ad perficiendum concedere digneris, supplex rogo et exoro.

Tu o Deus! es Deus meus, Deus cordis mei, Deus animae meae, Deus spiritus mei. Ex nunc in omnem aeternitatem te Deum meum supremum Dominum, toto corde adoro, laudo et glorifico. Amen.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Inter innumera divini amoris in nos argumenta unum est ex maximis hujus sanctissimi Sacramenti

institutio. Nec potuit Christus Dominus noster majoris honoris, utilitatis aut jucunditatis opus nobis in terris relinquere, quam in hoc admirabili Sacramento.

Hic habemus, ad quem confugiamus in omnibus rebus adversis; hic habemus, cui facie ad faciem loquamur, cum opus est; hic habemus Deum, cui per hoc Sacramentum intime conjungimur, et quasi concorporamur. Denique vita ipsa, quae Christus est, nobis hoc Sacramento porrigitur, ut propterea merito panis vitae dicatur, de quo ipse Christus: «Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.» Joan. 6.

Hoc Sacramentum est infinitae virtutis ex eo, quod contineat ipsum gratiae fontem Christum, et nobis communicat omnem virtutem passionis ejus, cujus pretium est infinitum. Atque eam ob rem tot tantique fructus ex percepta Eucharistia a sanctis Patribus traduntur.

Fructus ex Sanctissima Eucharistia.

1. Sanctissima Eucharistia remittit peccata praeterita oblita.
2. Confirmat adversus futura.
3. Debilitat vitiosos animi impetus.
4. Tentationes minuit, et ad pietatem incitat.
5. Intelligentiam illuminat, et accendit affectum.
6. Debilitati nostrae firmitatem addit.
7. Exhilarat conscientiam, et spem confirmat.
8. Participes nos facit Christi meritorum.
9. Confirmat cor hominis, et dat pignus futurae gloriae.
10. Armat fortes ad strenue decertandum.
11. Alacrem facit ad bonas actiones.
12. Mire adjuvat in rebus adversis.
13. Poenas peccati minuit.

Denique maximus fructus in eo est, ut nos Deo conjungat, uniat, incorporet, Deiferos faciat, et vitam aeternam nobis digne sumentibus operetur.

Ex quibus apparet, quam utilis, fructuosa, immo necessaria sit sanctissimae Eucharistiae per-

ceptio, cum ipse Christus edixerit: «Nisi manducaveritis carnem filii hominis — non habebitis vitam in vobis. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.» Joan. 6. Hinc sanctus Ambrosius: «Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit; sic vive, ut merearis quotidie accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum.» De Sacram. lib. 5. cap. 4.

Quid clarius ad commendationem frequentis Communionis contra tepidos aut frigidos Christianos?

Cur multi ex frequenti Communione non proficiant?

Effectus sanctissimae Eucharistiae sunt: praeservare a peccatis, augere gratiam, terrenorum odium infundere, ad aeternorum amorem mentem elevare, illuminare intellectum, conferre animae et corpori puritatem, conscientiae pacem et laetitiam, atque inseparabilem cum Deo unionem. Plerique tamen post frequentem Communionem his effectibus non fruuntur, ad quos spectat illud Aggaei Prophetae: «Comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati.» Defectus iste est non in cibo, sed in prava manducantis dispositione. Et haec prima tanti mali causa est, quod anima mundi amore infecta non percipiat mellis dulcedinem. Purganda est anima a delectationibus carnis et sensuum, a tepiditate, ab omni affectu ad creaturas, ut possit divinum Sacramentum suos in ea effectus operari. Nam cor terrenis occupatum delectatione sancta non fruitur, nec datur divina consolatio admittentibus alienam.

Altera causa est omissio necessariae praeparationis. Plerique ad tantum mysterium accedere non verentur perfunctorie, ex consuetudine potius, quam devotionis causa. — Tertia demum causa est, quia multi post sacram Communionem ad exteriora statim divertunt, nec sinunt, ut Sacra-

mentum suam in eis virtutem exerceat. Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa coelesti fructum reportant, quia tantum Dominum ad se venientem non reverentur, non gratias agunt, imo protinus ab eo recedunt, ipsumque contristant, Majestatem ejus, et celsissimam dignitatem parvi pendentes, nec advertentes, quanta sit foeditas et miseria ipsorum, ad quos Dominus et Deus et Redemtor noster venire dignatus est.

PRECES ANTE SACRAM COMMUNIONEM.

Deus Pater omnipotens! ego indignus peccator accedo ad sanctissimum Sacramentum corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, tanquam immundus ad fontem misericordiae. Ideo precor tuae clementiae immensitatem, ut digneris purificare meam foeditatem, et ad dilectionem me inflammare, quatenus tanta munditia et devotione Sacramentum hoc suscipiam, ut tibi cedat ad honorem, et mihi ad salutem.

Domine Jesu Christe! Sacerdos et Rex aeterne! per merita amarissimae tuae passionis, atque pretiosissimi tui sanguinis effusionem concede mihi misero peccatori Mysterium tui admirabilis Sacramenti debita cum reverentia et amore suscipere.

Sanctissime Spiritus! qui virtute tua admirabili Apostolorum intellectum illuminasti, et corda eorum amore Dei et proximi, atque invicta patientia et fortitudine abundare fecisti; visita me famulum tuum licet indignum gratia salutari, ut corpus Domini nostri Jesu Christi tam devote

queam accipere, ut per ejus perceptionem merear vitam consequi sempiternam. Amen.

Oblatio sanctissimae Communionis.

Summe et omnipotens Deus! in laudem et gloriam supremae ac aeternae Majestatis tuae, in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Jesu Christi Salvatoris mei, in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis mihi indigno peccatori et toti Ecclesiae tuae concessis, in propitiationem pro innumeris peccatis meis, pro salute mea et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N. ego indignus peccator sanctissimum corporis et sanguinis Filii tui Mysterium recipere intendo. — Vere Domine! in te solo totum est, quod satiare possit humani cordis desiderium.

Itaque supplex imploro divinam clementiam et potentiam tuam, o Deus cordis mei! per te, et infinita Domini nostri Jesu Christi merita, ut in hoc sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quod hodie ad maximam tuae divinae Majestatis gloriam volo suscipere, dones mihi ex inexhausta tua bonitate gratiae tuae plenitudinem, ut semper quam maxime in omnibus meis cogitationibus, affectibus, verbis et operibus te Deum meum glorificem et amem, ac omnia agam propter te unice, et propter gloriam tuam. Amen.

Actus diversarum virtutum.

Actus Fidei.

Quis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli inspicere. Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quae oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animae meae. O Dominus meus et Deus meus! credo enim firmissima fide, te in augustissimo Eucharistiae Sacramento vere praesentem esse Deum meum et Dominum meum, et pro hac veritate millies mori paratus sum. Credo, quod in hoc Sacramento corpus tuum gloriosissimum vere adsit sole splendidius, cum ea integritate, pulchritudine et majestate, qua in coelo existit, et qua nulla major concipi potest. Ibidem est Sanguis in cruce pro nostra salute effusus; ibi est Anima, omni gratia et sapientia plena, ibi latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater creavit omnia, quia tu in Patre, et Pater in te est. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum; hoc summum prodigium, omnium creatarum mentium captum excedens; haec veritas infallibilis, quam te largiente per ignes et gladios profitebor.

Actus Spei.

In te solo spem meam colloco, dulcis-

sime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim auderem accedere ad te suscipiendum, nisi tu ipse fiduciam mihi praeberes, qui sanguine tuo me redemisti. De tua igitur bonitate confisus accedo ad te, ut ovis aberrans ad pastorem, ut infirmus ad medicum, ut reus et morti obnoxius ad advocatum et protectorem, ut tu me foveas, protegas, sanes et corrobores. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuae; nam licet peccata mea plurima et gravissima sint, tamen spero veniam eorum, si misericordiam tuam et pretium sanguinis tui contemplor. Miserere itaque mei, et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

Actus charitatis.

O quanta vi amoris cor tuum, amantissime Jesu, inflammatum erat, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam nobis parasti habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis. Hic totum thesaurum gratiae tuae in nos effudisti, ut immensa hac dilectione praeventi, amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te, unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animae meae, unica mea felicitas et summum bonum, quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente, tota virtute, atque utinam omni momento te ferventius amarem. Hoc est ardens desiderium meum,

huc feruntur gemitus mei et suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animae meae, dum esurientem animam pretioso tuo corpore et sanguine nutris, satias et pascis. O quantum igitur obligor ad te amandum! O ignis jugiter ardens, et nunquam deficiens! Ure renes meos et cor meum, ut ardeam amore tui. Ignem venisti mittere in terram; accende illum, et magis inflamma, ut semper crescat. Te semper amabo, si amandi vires praebueris, et eo amplius te amabo, quo uberiorem amandi gratiam mihi infuderis; nunquam tamen te amabo, ut dignus es.

Actus desiderii.

Veni Domine Jesu, unica salus animae meae, et infunde pectori meo multitudinem dulcedinis tuae, ut nihil amem, nihil desiderem praeter te. Veni gaudium et felicitas mea, veni spes et robur meum, quia tecum sunt divitiae et gloria, tu vita et consolatio mea. Atque utinam te veniente ad me vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciae, ut tibi in hoc coelesti convivio unitus, a te nunquam separer in aeternum. Amen.

Actus timoris.

Ad mensam convivii tui, a te Domine Jesu invitatus, accedere quidem desidero, sed totus contremisco a voce Apostoli tui dicentis: »Si quis manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne,

reus erit corporis et sanguinis Domini.« Et quomodo non pertimescerem, dum magnam miseriam meam perpendo. Pascor tam diu hoc coelesti pane, et tamen aresco; omne coeli gaudium intus fero, et tamen post mundi vana abeo. Deum Excelsum, ſontem omnium bonorum toties sumo, et in te Deum meum non rapior, sed terrae totus adhaereo. Haec sunt angustiae meae, haec consternatio mea magna nimis. Quia tamen scio, te esse infinitae clementiae, ad te rursus confugio, te velut Patrem benignissimum exoro, ut me mundes, sanes, erigas, et gratiis tuis exornes. Abstrahe cor meum ab omnibus creaturis, et fac, ut mens mea amore tui capta nil amplius quaerat extra te.

Actus gratitudinis et humilitatis.

Quis sum ego, o Bonitas infinita, ut me pretiosissimo corpore et sanguine tuo pascere et satiare digneris? Quas ego tibi gratias agam? Quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Sicut ergo, o clementissime Jesu! tu te mihi totum tradis in nutrimentum animae meae, ita ego totum me consecro servituti tuae. Quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus offero et trado, ut me totum tibi vindices, nec quidquam mei mihi superesse patiaris.

Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus! Heu quanta est dignatio tua, quanta miseria mea! Tu Rex

regum, tu Dominus dominantium, qui respicis terram, et facis eam contremiscere; tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri; tu sol claritatis aeternae, qui lucem inhabitas inaccessibilem. Ego immundus, peccatis innumeris obnoxius; quomodo praesumam ad te accedere, vermis terrae. Verumtamen utut sit, quia major est misericordia tua, quam mea miseria; loquar ad te ego pulvis et cinis. Respice me indignum servum tuum, Pater misericordissime! suscipe me, quem tam amanter invitas ad te. Jam enim cognovi, quia sine te nihil sum, et extra te non est salus, neque vita. Parce itaque peccatori, et largire mihi indigno gratiam, ut vivam per te, et salvus fiam in te. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Affectus ad Jesum jamjam Communicaturi.

Veni, o Jesu, fons vitae, et de plenitudine tua refice me.

Veni, o Jesu, pax mea et gaudium meum, visita et recrea me.

Veni, o Jesu, protector meus; sub umbra alarum tuarum colloca et protege me.

Veni, o Jesu, fortitudo mea; ne deficiat virtus mea, tuo pretiosissimo corpore et sanguine conforta me.

Veni, o Jesu, perseverantia mea; ut nunquam a fidelibus tuis servitiis deficiam, consolida me.

Veni, o Jesu, amor meus; transforma cor meum, et sanctifica me.

Veni, o Jesu, Deus cordis mei, ut totum cor meum et animam meam in te effundam, in quo consolatio, virtus, salus et vita aeterna.

Dum sacerdos ostendit S. Hostiam.

1. Deum infinitum, omnipotentem, sanctissimum recognoscendo, corde pronus in terram adora.

2. Divinam Majestatem junctam esse sanctissimae Humanitati Christi in venerabili Sacramento profitere, et pariter adora.

3. Recognosce, te esse indignum ad percipiendum corpus Christi; veluti leprosus procidens ad pedes Christi, ad quem accedis, Salvatorem tuum adora.

Dum ad aram accedis, et recedis.

Ad te, mi Jesu, accedo, in te spero, in te credo. Amo te ex toto corde meo, super omnia. — Veni Jesu, et dignare peccatorem corpore et sanguine tuo satiare et reficere, sanare et confortare.

Jam quod quaesivi, video; quod concupivi, teneo; amore Jesu langueo, et corde totus ardeo.

Intra cor meum te suscepi, me totum tibi trado; sim tuus nunc et in aeternum.

Recede ad locum tuum, et super tanto beneficio, quod se tibi totum Christus communicaverit, meditabundus subsiste; corrue interne ad pedes Christi, et de defectibus tuis ac vili hospitio deprecare.

Sis mi Jesu benedictus, iterumque benedictus sis mi Jesu millies.

Quod sis factus cibus, potus, immo quod sis meus totus, sub hac panis specie.

Credo in te, in te spero, amo te corde sincero, amo te super omnia.

Me ad tuos sterno pedes, vulnerum adoro sedes, latus tuum exosculor.

Quidquid vis, hoc ego volo, quidquid non vis, ego nolo, tibi me subjicio.

Quoquo vis, eo me voca, et in illo statu loca, in quo tibi placeam.

Moribus fac sim maturus, corde, sensibusque purus, simultatis nescius.

Humilis, pauper, pudicus, voluptatum inimicus, patiens et candidus.

Quidquid loquar, cogitabo, agam, patiar, amabo te, Deus, in omnibus.

ORATIO POST S. COMMUNIONEM.

Credo in te Dominum meum et Deum meum, intra me commorantem. Sentiat mens mea potentiam et dulcedinem praesentiae tuae; illumina eam, fidemque adauge.

Spero benignissime Jesu, me fore meritorum tuorum, donorumque coelestium participem. Quid negabis mihi, cui te ipsum dedisti? Jam habeo te, qui habes omnia; possideo te, qui potes et possides omnia. Noli cor meum, jam foris quaerere, quod amas; habes intra te coeli delicias, amabilissimum Deum.

Amo te, divinissime hospes; accende in me tui amorem; da, ut nunquam extinguatur, nec tepescat. O anima mea, immitte te totam in praesens tibi et apertum Jesu Christi latus, amoris thronum, clementiae portum, gratiarum pelagus, perfectionis paradisum, et abyssum Divinitatis.

Actus amoris ex Card. Bona.

Amo te, Domine Jesu, jucunditas mea

et requies mea; amo te summum et unicum bonum meum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus meis. Et si tu vides me in hoc deficere; saltem desidero amare te; et si satis id non opto, saltem desidero, id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quando quidem non nisi amorem petis a me: da, quod jubes, et jube, quod vis; nisi enim dederis Velle mihi et Perficere, peribo utique in infirmitate mea.

Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Tu enim dixisti: »Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.« O dulcissimum verbum: Tu in me, et ego in te! O quantus amor! tu in me vilissimo peccatore, et ego in te, Deus meus, cujus Majestas incomprehensibilis est. Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero: in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari.

Felix est, qui te quaerit, felicior, qui te possidet, felicissimus, qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem, et a te recedens.

O Domine! redime animam meam, in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris impedimenta. Tu solus, Christe Jesu, vive et regna semper in me; in te enim sunt omnia bona, et jam deinceps paratus sum, omnia potius

mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te.

O Corpus sacratissimum, quinque vulneribus sauciatum! pone te ut signaculum super cor meum, et imprime illi charitatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus meas, ut bona opera semper exerceam; obsigna mentem et voluntatem meam, ut nonnisi de te cogitem, et ea semper exequi studeam, quae sanctissimae tuae voluntati sunt consentanea.

O Sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas; lava animam meam, et concede, ut nunquam amplius eam ullo peccato inquinare audeam.

O dulcedo cordis mei, o vita animae meae! sicut tu in Patre, et Pater in te est; ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit, et ego mundo. Amen.

Affectus S. Ignatii.

O Deus! ego amo te;
Nam prior tu amasti me.
    En libertate privo me,
    Ut sponte victus sequar te.
Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria;
    Nil intellectus sapiat,
    Praeterquam ut te capiat.
Protestor, nihil velle me,
Nisi quod sciam, velle te.
    Quae dono tuo mea sunt,
    Haec dono meo tua sunt.
A te accepi, recipe,
Quid iis velis, praecipe;

Guberna, sicut scis et vis,
Nam scio, quod amator sis.
Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te;
Tam vigil, quam per somnia,
Hoc dando, dabis omnia.
O Jesu mi dilecte, amabo te perfecte,
Cum me amoris telo transfixeris e coelo.
Transfige, ah transfige me, o Jesu dilectissime!

Aliae preces post S. Communionem.

Dominus meus et Deus meus! Quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Si dedero tibi, quidquid sum, quidquid habeo, quidquid possum, perinde est, ac si nihil darem aut facerem. Quid retribuam tibi inprimis pro eo, quod me tuo pretiosissimo corpore et sanguine in Ecclesia tua sancta nutrias? Et si hoc momento omnes atomi verterentur in linguas, quibus te laudarem, in manus, quibus tibi servirem, in corda, quibus te amarem, adhuc nihil esset pro tuis in me beneficiis. Sed et illud mihi certum est: postquam tibi omnia dedero, nihil te rerum mearum accepturum, quod non pluribus nominibus antea sit tuum. Attamen corpus, animam, vitam, sanitatem, vires, fortunas, commoda, et quidquid sum, aut unquam ero, tibi reddo et dedico, ac volo, ut quidquid a me, sive in tempore, sive in aeternitate peragetur, meae cogitationes, dicta et facta, mea consilia et desideria, meae calamitates et res secundae, laeta et tristia, et quidquid potest ad me spectare, tuae Majestatis servitiis sint consecrata. Omnia mea dirigantur ad

te Jesum, et ad gloriam tuam. Pro his omnibus id unum te obsecro, ut tu Salvator meus, quod et mihi ad salutem sufficiet, ducas me ad conspectum Patris tui, et haec pro me loquaris verba: Ecce homo, pro quo ego filius tuus factus sum homo. Amen.

Petitiones S. Augustini.

Domine Jesu! noverim me, noverim te,
Nec aliud cupiam, nisi te,
Ut odiam me, et amem te.
Quidquid agam, sit propter te,
Humiliem me, exaltem te,
Nihil cogitem, nisi te,
Mortificem me, et vivam in te,
Quaecunque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te,
Semper optem sequi te.
Fugiam a me, confugiam ad te,
Dignus sim, defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Simque de electis a te.
Diffidam mihi, fidam in te,
Obedire velim propter te.
In nullo afficiar, nisi in te,
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te,
Et in aeternum potiar te. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et precor, ut haec sancta Com-

munio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, contra insidias omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera sanctissimaque charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Te concupiscat, et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi, et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, te panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, te semper sitiat, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei. Te sem-

per ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam Nominis tui cum humilitate et dilectione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem. Et tu sis solus semper spes mea, jucunditas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo sit fixa et firma et immobiliter radicata mens mea et cor meum. Amen.

Alia oratio post S. Communionem.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Jesu Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum corporis et sanguinis tui, quod ego indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniae, sit stabilimentum gratiae, sit medicina vitae, sit memoria passionis tuae, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meae peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus! beatissima praesentia corporis et sanguinis tui sic immutet palatum cordis mei, ut praeter te nullam unquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quaerat alium amorem, nullam desideret con-

solationem, nullum curet honorem, nullam timeat adversitatem. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aspirationes post sacram Communionem ad B. V. Mariam et alios Sanctos.

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria! loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me sanctissimo corpore et sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meae; gratias age ei pro me, et impetra mihi, ut sacramentali sua praesentia non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi, qui Primogenitum Patris aeterni, introeuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis; facite me eo spiritu et veritate illi servire, quo vos eidem in hac vita ministrastis, et nunc in coelesti patria servitis. Sancti Patriarchae et Prophetae, viri desideriorum, conscii secretorum Dei, intuemini in corde meo promissum ab initio mundi Redemtorem, quem tam ardenter desiderastis; facite me toto affectu ad illum suspirare, et promissos hujus Sacramenti effectus feliciter obtinere.

Electi Apostoli Jesu Christi, clarissimi hujus mundi doctores! aspicite in corde meo dilectissimum magistrum vestrum, quem tantopere dilexistis; impetrate mihi, ut ex intimo et super omnia Magistrum

vestrum, Jesum Christum Salvatorem meum diligam, et pro illius majori gloria jugiter et indefesse zelem.

Invictissimi Martyres, qui pro Christo libenter sanguinem vestrum fudistis, ipsum pro me exorate, ut me semper cum ipso vivere et mori faciat, ut sic vitam aeternam, quam repromisit diligentibus se, consequi valeam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores! Agnum cernite in corde meo immaculatum, quem omnipotenti Deo toties immolastis, et vestris precibus mihi exorate, ut hoc sacrificium tremendum mihi conferat salutem aeternam.

Servi Christi fideles, sancti Monachi et Eremitae! videte Dominum vestrum dulcissimum, pro quo omnia hujus mundi oblectamenta reliquistis; facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare.

Purissimae Virgines! Sponsum vestrum intuemini, cui cum summa exultatione virginitatem vestram consecrastis; illibatam mihi mentis et corporis puritatem obtinete.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, vos praesertim Patroni mei! aspicite in corde meo Magistrum et praemium sanctitatis vestrae, mihique ab ipso vestris precibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ad vestrum merear consortium pervenire. Amen.

Cultus sanctissimae Trinitatis.

Litaniae de SS. Trinitate.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
O beata Trinitas. Audi nos.
O adoranda Unitas. Exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus.
Vera et una Trinitas.
Una et summa Deitas.
Sancta et indivisa Unitas.
Unitas in substantia, et Trinitas in personis.
Una et par Potentia.
Una et coaeterna Majestas.
Una et aequalis Gloria.
Una et divina Trinitas.
Pater Creator.
Fili Redemtor.
Spiritus sancte Paraclite.
Deus unus in substantia, et trinus in personis.
Pater ingenite.
Fili unigenite.
Spiritus S. ex utroque procedens.
Una sancta Creatrix et Gubernatrix omnium Trinitas.
Immensa aeterni Patris potentia.
Inscrutabilis Filii Dei sapientia.
Efficacissima Spiritus Sancti Bonitas.
Una et simplex Divinitas.
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis.
In quo vivimus, movemur et sumus.

} Miserere nobis.

Ex quo, in quo, et per quem sunt omnia.
Rex saeculorum immortalis et invisibilis.
Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.
Qui eras, qui es, et qui venturus es, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, unus Deus.

} Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis, sanctissima Trinitas.
Propitius esto. Exaudi nos, sanctissima Trinitas.
Ab omni malo. Libera nos, sanctissima Trinitas.

Ab omni peccato.
Ab omni superbia et pertinacia.
Ab omni avaritia et cupiditate.
A gula et amore mundi.
Ab omni invidia et odio.
Ab ira et omni mala voluntate.
Ab omni luxuria et immunditia.
Ab omni acedia et pusillanimitate.
A maledictione perpetua.
Per fortitudinem omnipotentiae tuae.
Per Majestatem gloriae tuae.
Per abundantiam bonitatis tuae.
Per magnitudinem charitatis tuae.
Per multitudinem miserationum tuarum.
Per abyssum judiciorum tuorum.
Per altitudinem sapientiae et scientiae tuae.
Per divitias Beatitudinis tuae.
In die judicii.
Peccatores. Te rogamus, audi nos.

} Libera nos, SS. Trinitas.

Ut te Dominum Deum nostrum adoremus, et tibi soli serviamus.
Ut Nomen sanctum tuum in vanum non assumamus.
Ut Ecclesiae dies festos observemus et sanctificemus.
Ut parentes et superiores nostros obediendo et subveniendo honoremus.
Ut neque facto, neque consilio ullum occidamus, vel laedamus.
Ut nec mente, nec corpore turpia unquam committamus.

} Te rogamus, audi nos.

Ut furtum non faciamus, nec quemquam contra justitiam gravemus.
Ut contra proximum falsum testimonium vel mendacium nunquam loquamur.
Ut proximi bona nunquam concupiscamus, aut invideamus.
Ut ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine te diligamus.
Ut proximum propter te, sicut nos ipsos sincere diligamus.
Ut ad conspectum gloriae tuae nos perducere digneris.
Deus Genitor, Deus Genite, Deus ex utroque procedens.

} Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Redde nobis Patrem propitium.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Propitius esto nobis peccatoribus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona nobis Spiritum sanctum.
O beata Trinitas. Audi nos.
O adoranda Unitas. Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.
V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.
R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
V. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.
R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.
V. Benedictus es Domine in firmamento coeli.
R. Et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem;

quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum etc.

Oratio ad SS. Trinitatem.

Sanctissima Trinitas, unus Deus! Ego miserrimus peccator, coram sanctissima Divinitate tua in abyssum mei nihili immersus, desidero te ex toto corde cum omnibus creaturis tuis super terram, cum Angelis et Sanctis in coelo, laudare et glorificare tot laudibus, quot in coelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttae, in terra pulveres, quot in vere flores, aestate grana, autumno folia, hyeme nives, quot corporeae in Universo sunt creaturae, et humili corde dicere: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem, omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi coeli et universae potestates.
Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra Majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensae Majestatis.

Venerandum tuum verum et unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.
Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine, miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.
In te Domine speravi, non confundar in aeternum.
V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.
R. Laudemus et superexaltemus eum iu saecula.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam

exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Dominum nostrum etc. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Litaniae ad Deum Patrem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater sancte. Audi nos.
Pater juste. Exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
Sancta Trinitas unus Deus.
Pater noster, qui es in coelis.
Pater Domini nostri Jesu Christi.
Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.
Pater, peccavimus in coelum, et coram te.
Pater, Deus benedictus in saecula.
Pater in spiritu et veritate adorande.
Pater, sine quo nemo venit ad Filium.
Pater gloriae, et Domine coeli et terrae.
Qui misisti Filium in mundum.
Ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur.
Qui elegisti nos in filios ante mundi constitutionem.
Qui praedestinasti nos in adoptionem filiorum.
Qui mysteria abscondis prudentibus et sapientibus, et revelas ea parvulis.
Qui benedixisti nos omni benedictione spirituali in coelestibus.
Qui dimittis nobis peccata nostra.
Qui elegisti nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu tuo.

} Miserere nobis.

Qui das spiritum bonum petentibus te.
Pater luminum, a quo omne bonum descendit.
Pater vivificans, et mortuos suscitans.
Pater videns in abscondito.
Agricola usque modo operans.
Qui solem tuum oriri facis super bonos et malos.
Qui pluis super justos et injustos.
Qui numerasti omnes capillos capitis nostri.
Qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus eum tradidisti.
Qui vocasti nos in societatem Filii tui.
Qui dignos nos fecisti, ut veniamus in partem sortis Sanctorum.
Qui ad nuptias Filii nos vocasti.
Qui dilexisti nos, et dedisti consolationem aeternam.
Qui sic dilexisti mundum, ut Filium unigenitum dares.
Qui magnifica voce de coelo delapsa clarificasti Filium tuum.
Qui tibi in Filio tuo bene complacuisti.
Cui complacuit dare nobis regnum.
Cujus faciem semper vident Angeli in coelis.
Qui, ut servum redimeres, Filium tradidisti.
Qui talem charitatem dedisti nobis, ut filii tui nominemur et simus.
Qui voluisti nos conformes fieri imagini Filii tui.
Qui es super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.
Qui parasti regnum electis tuis ante mundi constitutionem.
Pater orphanorum et judex viduarum.
Qui sine acceptione personarum judicas secundum opus uniuscujusque.
In cujus domo sunt mansiones multae.
Pater benigne, patiens, et multae misericordiae.

} Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab omni peccato.
A potèstate diaboli.
Ab omnibus peccatorum occasionibus, et tentationibus.
Ab insidiis inimicorum.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate.
Ab imminentibus peccatorum periculis.
Ab omnibus adversantibus, et hostibus mentis et corporis.
A damnatione perpetua.
Per altissimam, qua intueris abyssos, scientiam tuam.
Per immensam, qua omnia ex nihilo creasti, potentiam tuam.
Per suavem, qua cuncta gubernas, providentiam tuam.
Per aeternam, qua mundum dilexisti, charitatem tuam.
Per infinitam, qua omnia imples, bonitatem tuam.
Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nomen tuum semper, et ubique sanctificetur.
Ut regnum tuum nobis advenire concedas.
Ut semper fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.
Ut panem nostrum quotidianum nobis dare digneris.
Ut nos sub umbra alarum tuarum protegere, et ex omni tentatione eripere digneris.
Ut nos ab omni malo liberare digneris.
Ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.
Pater, in nomine Filii tui.
Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Reconcilia nos Patri.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Da nobis accessum ad Patrem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Post hoc exilium ostende nobis Patrem.

Pater sancte. Audi nos.
Pater juste. Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Protector noster aspice Deus.
Et respice in faciem Christi tui.
Memento nostri Domine in beneplacito tuo.
Visita nos in salutari tuo.
Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
Et salutare tuum da nobis.
Domine Deus virtutum, converte nos.
Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus.
Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus celsitudo humilium, et fortitudo rectorum, qui per unigenitum Filium tuum ita erudire mundum dignatus es, ut omnis illius actio fieret nostra instructio; excita in nobis spiritus tui fervorem, ut, quod ille verbo et exemplo salubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus.

Deus, qui in omnibus Ecclesiae tuae filiis Christi Filii tui voce, manifestasti satorem te bonorum seminum, et electorum palmitum esse cultorem; tribue quaesumus fidelibus tuis, qui vinearum apud te nomine censentur et segetum, ut spinarum et tribulorum squallore resecto, digna efficiantur fruge foecundi.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis; da nobis id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa

sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum etc.

Domine, exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Litaniae ad Christum, sanctissimum Redemtorem.

Kyrie eléison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Jesu Christe. Audi nos.
Jesu Christe. Exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili, Redemtor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
Sancta Trinitas, unus Deus.
Jesu Fili Dei vivi.
Jesu Fili Mariae Virginis.
Jesu Sanctissime.
Jesu Potentissime.
Jesu Fortissime.
Jesu Perfectissime.
Jesu Gloriosissime.
Jesu Piissime.
Jesu Mirifice.
Jesu Charissime.
Jesu Dulcissime.
Jesu Jucundissime.
Jesu Clarissime.
Jesu Clarior sole.
Jesu Pulchrior luna.
Jesu Splendidior stellis.
Jesu Admirabilis.
Jesu Delectabilis.

Miserere nobis.

Jesu Honorabilis.
Jesu Humillime.
Jesu Pauperrime.
Jesu Sapientissime.
Jesu Obedientissime.
Jesu Castissime.
Jesu Amator Castitatis.
Jesu Amator pacis.
Jesu Amor noster.
Jesu Speculum vitae.
Jesu Exemplar virtutum.
Jesu Decus morum.
Jesu Speculum perfectionis.
Jesu Zelator animarum.
Jesu Refugium nostrum.
Jesu Pater pauperum.
Jesu Consolator afflictorum.
Jesu Thesaurus fidelium.
Jesu Gemma pretiosa.
Jesu Armarium perfectionis.
Jesu Stella maris.
Jesu Lux vera.
Jesu Sapientia aeterna.
Jesu Bonitas infinita.
Jesu Salvator mundi.
Jesu Mediator Dei et hominum.
Jesu Bone pastor ovium.
Jesu Benignissime.
Jesu Dilectissime.
Jesu Clementissime.
Jesu Desideratissime.
Jesu Mitissime.
Jesu Amantissime.
Jesu Amator fidelissime.
Jesu Amator noster.
Jesu Gaudium Angelorum.
Jesu Rex Patriarcharum.
Jesu Inspirator Prophetarum.
Jesu Magister Apostolorum.
Jesu Doctor Evangelistarum.
Jesu Fortitudo Martyrum.

} Miserere nobis.

Jesu Lumen Confessorum. Miserere nobis.
Jesu Sponse Virginum. Miserere nobis.
Jesu Corona Sanctorum omnium. Miserere nobis.
Propitius esto. Parce nobis Jesu.
Propitius esto. Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo. Libera nos Jesu.
Ab omni peccato.
Ab ira tua.
Ab insidiis diaboli.
A peste, fame et bello.
A transgressione mandatorum tuorum.
Ab incursu omnium malorum.
Per incarnationem tuam.
Per adventum tuum.
Per nativitatem tuam.
Per dolores tuos.
Per flagella tua.
Per mortem tuam.
Per resurrectionem tuam
Per ascensionem tuam.
Per gaudia tua.
Per gloriam tuam.
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum.

} Libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis Jesu.
Jesu Christe. Audi nos.
Jesu Christe. Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Benedic anima mea Domino.
Et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.
Sit nomen Domini benedictum.
Ex hoc, nunc et usque in saeculum.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit coelum et terram.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis.

Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum; insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et praesta in nobis Religionis augmentum, ut quae sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias.

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Christi, Filii tui Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eundem Dominum nostrum etc.

Bone Jesu, Verbum Patris, splendor paternae gloriae, in quem desiderant An-

geli prospicere; doce me facere voluntatem tuam, ut a spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies aeternus et unus omnium spiritus, ubi est certa securitas, et secura aeternitas, et aeterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, et felix suavitas, et suavis jucunditas, ubi tu Deus cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Jubilus S. Bernardi.

Jesu dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia;
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.
Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius;
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.
Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?
Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera describere;
Expertus potest credere,
Quid sit, Jesum diligere.
Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis;
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine
Mundum reple dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas;
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite.
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.
Jesus auctor clementiae,
Totius Spes laetitiae,
Amoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.
Hoc probat ejus passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemtio
Datur, et Dei visio.
Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.
Jam, quod quaesivi, video,
Quod concupivi, teneo,
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Sis precor meum gaudium,
Qui es futurum praemium.
Tu solus mea gloria,
Spes, decus, et victoria.
Sequar, quocunque ieris;
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris,
Jesu, laus nostri generis.
Rex virtutum, Rex gloriae,
Rex insignis victoriae.
Jesu, largitor veniae,
Honor coelestis patriae.

In pace Jesus imperat,
Quae omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.
Jesus ad Patrem rediit,
Coeleste regnum subiit.
Cor meum a me transiit,
Post Jesum simul abiit.
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis et precibus;
Ut nos donet coelestibus
Secum perfrui sedibus. Amen.

Litaniae ad Spiritum sanctum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Spiritus sancte. Audi nos.
Spiritus Paraclite. Exaudi nos.
Pater de coelis Deus.
Fili Redemtor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
Sancta Trinitas, unus Deus.
Spiritus veritatis, a Patre, Filioque procedens.
Dominator hominum.
Replens orbem terrarum.
Habens omnem virtutem.
Omnia bona operans, et omnia prospiciens.
Spiritus veritatis, omnia suggerens et distribuens.
Spiritus sapientiae et intellectus.
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiae et pietatis.
Spiritus timoris Domini, et prudentiae.
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines.
Spiritus, quae ventura sunt, annuntians.
Spiritus, donum et promissio Patris.
Spiritus sancte Paraclite, arguens mundum.
Spiritus, in quo daemonia ejiciuntur.
Spiritus, ex quo renascimur.

Miserere nobis.

Spiritus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.
Spiritus adoptionis filiorum Dei.
Spiritus gratiae et misericordiae.
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, et reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei.
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis.
Spiritus pignus haereditatis nostrae, deducens nos in terram rectam.
Spiritus principalis, vivificans et confortans.
Spiritus salutis, judicii et gaudii.
Spiritus fidei, pacis et ardoris.
Spiritus humilitatis, charitatis et castitatis.
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac mansuetudinis.
Spiritus veritatis, unitatis ac consolationis.
Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis.
Spiritus vitae, patientiae, continentiae ac modestiae.

Miserere nobis.

Spiritus omnium gratiarum.
Propitius esto. Parce nobis S. Spiritus.
Propitius esto. Exaudi nos S. Spiritus.

A spiritu erroris.
A spiritu immundo.
A spiritu blasphemiae.
Ab omni obstinatione et desperatione.
Ab omni praesumtione et veritatis contradictione.
Ab omni malitia et prava consuetudine.
Ab invidia fraternae charitatis.
A finali impoenitentia.
Per aeternam a Patre, Filioque processionem tuam.
Per omnem gratiarum plenitudinem, qua Virginem Mariam semper possedisti.
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam.
Per salutarem super Apostolos adventum tuum.
Per ineffabilem bonitatem tuam, qua Ec-

Libera nos, Spiritus Dei vivi.

clesiam gubernas, Martyres, corroboras, Doctores illuminas. Libera nos Spiritus Dei vivi.

Peccatores.

Ut in spiritu ambulemus, et desideria carnis non adimpleamus.
Ut te nunquam contristemus.
Ut omnes ecclesiasticos Ordines in sancta Religione et vero Spiritu conservare digneris.
Ut cuncto populo christiano cor unum et animam unam donare digneris.
Ut virtutum omnium complementum nobis donare digneris.
Ut nos exaudire digneris.

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Effunde in nos sanctum Spiritum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Emitte in nos promissum Patris Spiritum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Da nobis Spiritum bonum.
Spiritus sancte. Audi nos.
Spiritus Paraclite. Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
Et renovabis faciem terrae.
Cor mundum crea in me Deus.
Et Spiritum rectum innova in visceribus meis
Ne projicias me a facie tua.
Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
Redde mihi laetitiam salutaris tui.
Et Spiritu principali confirma me.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem

Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur; exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per eundem Dominum nostrum, qui tecum Spiritus unus est Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Misericordissime, piissime ac benignissime Deus, consolator et amator noster; ignosce et condona nobis peccata nostra. Exaudi nos: illuminet nos, inflammet nos lux tuae visitationis, ut ab omni peccato puri efficiamur, et alieni. Imple et confirma nos septem donis tuis et gratia tua, Spiritus sancte Deus, et hoc ipsum operare nunc in cordibus nostris, quod olim in vasis tuis electissimis, Christi Apostolis, in die Pentecostes operari dignatus es, ut quidquid tu non es, in nobis pereat, et tui amor castissimus ac ferventissimus nos omnes inebriet, transformet, atque in se absorbeat. Amen.

Hymnus de Spiritu Sancto.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
  Lucis tuae radium.
Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
  Veni lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
  Dulce refrigerium.
In labore requies,
In aestu temperies,
  In fletu solatium.
O Lux beatissima,
Reple cordis intima
  Tuorum fidelium.
Sine tuo Numine
Nihil est in homine,
  Nihil est innoxium.
Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
  Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
  Rege, quod est devium.
Da tuis fidelibus
In te confidentibus
  Sacrum Septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
  Da perenne gaudium. Amen.
Spiritus sancti gratia
Illuminet sensus et corda nostra.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum etc.

Hymnus alius.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,

Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae;
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

O r e m u s.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut Filius tuus promisit, veritatem.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu sancto totum corpus Ecclesiae regitur et sanctificatur; ego, etsi alioquin me tibi totum debeo, quidquid sum, àb hac tamen hora peculiari quadam servitute me tibi addico atque devoveo, suppliciter pe-

ens, ut tu, Deus meus, servi tui pia vota suscipiens, manus tuae protectione me semper custodias, amoris tui igne succendas, et a te nunquam separari permittas. Per Dominum etc.

CULTUS SANCTISSIMI EUCHARISTIAE SACRAMENTI.

Qui sanctissimam Eucharistiam digne colunt et suscipiunt, in coelo fulgebunt sicut sol, quia a sanctissima Christi humanitate, quam adeo decenter colebant, et devote sumebant, peculiare gloriae lumen habebunt, ét splendorem.

Quoties itaque se occasio offert accedendi Ecclesiam sive ad audiendum Missae sacrificium, aut praecise ex intentione visitandi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum: praemissa demississima adoratione Christi sub speciebus panis in hoc sanctissimo Sacramento existentis, pro temporis commodo et placito devotionis subservient sequentia.

Litaniae de Venerabili Sacramento.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. } Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. } Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. } Miserere nobis.
Panis vivus de Coelo descendens. } Miserere nobis.
Deus absconditus et Salvator. } Miserere nobis.
Frumentum Electorum. } Miserere nobis.

Vinum germinans virgines.
Panis pinguis, et deliciae regum.
Juge Sacrificium.
Oblatio munda.
Agnus absque macula.
Mensa purissima.
Angelorum esca.
Manna absconditum.
Memoria mirabilium Dei.
Panis supersubstantialis.
Verbum caro factum.
Habitans in nobis.
Hostia sancta.
Calix benedictionis.
Mysterium fidei.
Praecelsum et venerabile Sacramentum.
Sacrificium omnium sanctissimum.
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis.
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur.
Stupendum super omnia miraculum.
Sacratissima Dominicae passionis commemoratio.
Donum transcendens omnem plenitudinem.
Memoriale praecipuum divini amoris.
Divinae affluentia largitatis.
Sacrosanctum et augustissimum Mysterium.
Pharmacum immortalitatis.
Tremendum ac vivificum Sacramentum.
Panis omnipotentia Verbi caro factus.
Incruentum Sacrificium.
Cibus et Conviva.
Dulcissimum Convivium, cui assistunt Angeli ministrantes.
Sacramentum pietatis.
Vinculum charitatis.
Offerens et Oblatio.
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte degustata.
Refectio animarum sanctarum.
Viaticum in Domino morientium.
Pignus futurae gloriae.

Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione.
A concupiscentia carnis.
A superbia vitae.
Ab omni peccandi occasione.
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti.
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti.
Per ardentissimam charitatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti.
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti.
Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti.

(Libera nos Domine.)

Peccatores: Te rogamus audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam, et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere et conservare digneris.
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris.
Ut nos ab omni haeresi, perfidia, ac cordis caecitate liberare digneris.
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris.
Ut ad coenam vitae aeternae nos perducere digneris.
Fili Dei.

(Te rogamus, audi nos.)

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et
miserator Dominus.
Escam dedit timentibus se.
Ex altari tuo Domine Christum sumimus.
In quem cor et caro nostra exultant.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera nos per sacrosanctum corporis et sanguinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris et universis malis, et fac nos tuis semper inhaerere mandatis, nec a te unquam separari permittas. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Corporis Mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit;
Fitque Sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit.
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui.
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Oremus.

Deus, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas et praeceptis; perfice gressus nostros in semitis tuis, et charitatis tuae donum, quod fecisti a nobis sperari, per tuam clementiam efficaciter facias apprehendi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus alius.

Lauda Sion Salvatorem, lauda Ducem et Pastorem in hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude; nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, panis vivus et vitalis hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa coenae, turbae fratrum duodenae datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur, in qua mensae prima recolitur hujus institutio.

In hac mensa novi regis, novum pascha novae legis phase vetus terminat.

Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.

Docti sacris institutis, panem, vinum, in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus, latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille; quantum isti, tantum ille, nec sumtus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae, vel interitus.

Mors est malis, vita bonis; vide paris sumtionis, quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura; signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.
Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.
In figuris praesignatur, cum Isaac immolatur; Agnus paschae deputatur; datur Manna patribus.
Bone pastor, panis vere, Jesu nostri miserere; tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales, cohaeredes et sodales fac sanctorum civium. Amen.

Oremus.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti; infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum, etc.

Affectus ad Jesum in sanctissimo Altaris Sacramento.

O Jesu, fons vitae, refrigera me, et ubertate tua in aeternum refice me.
O Jesu, agnus Dei! quocunque ieris, da sequi te.
O Jesu, pax mea et gaudium meum, visita et recrea me.
O Jesu, Sanctificator meus, fac in justitia et sanctitate serviam coram te.
O Jesu, protector meus, sub umbra alarum tuarum protege me.
O Jesu, fortitudo mea, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
O Jesu, propugnaculum meum, sustenta et tuere me.
O Jesu, adjutor meus et firmamentum meum, adjuva et erige me.

O Jesu, perseverantia mea, in conspectu tuo in aeternum confirma me.
O Jesu, Sponsor meus, vim patior, responde pro me.
O Jesu, amor meus, transforma et sanctifica me.
O Jesu, Deus cordis mei, quando effundam totum cor meum in te?
O Jesu, judex meus, donec pertranseat furor tuus, absconde, et tandem absolve me.
O Jesu, gloria mea, in misericordia tua corona me, ut in aeternum perfruar te. Amen.

Oratio ad Jesum.

O Jesu amor meus! en effundo animam meam in conspectu tuo. Spes mea Jesu! tui amoris igne ardere desidero. Quocirca te suppliciter exoro, dignare tui amoris ignem de coelo mittere, qui cor meum et viscera inflammet.

Te deprecor per pretiosissimum sanguinem tuum, o Jesu, ut abluas omnes iniquitates meas. Redemtor meus Christe Jesu! totum me tibi trado. Uni me tibi, non me repellas; Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, ne me perdat iniquitas mea, quem creavit bonitas tua. O mi Deus! cupio toto cordis affectu, ut omnes te agnoscant et colant, ut totus orbis tibi serviat, et te unum laudet nunc et in aeternum. Amen.

Amantissime Domine Jesu Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubique fideliter aeque ac ferventer eam quaeris; da mihi rectam, puram, simplicem, ac Deo

placentem in singulis intentionem, ut in quibuscunque agendis, et vivens, et moriens, non aliud quaeram aut intendam, quam pure gloriam et beneplacitum tuum. Haec da mihi, ut te ex toto corde meo diligam, et quaeram in tempore et aeternitate. Amen.

Oratio contra carnis tentationes.

Tu scis, bone Jesu, quam acri certamine carnis incendia me fatigent, et quo continuo in periculo mea fragilitas versetur, agnoscis. Ne sinas, Domine Jesu, et tu, sanctissima Virgo Maria, ut tam immani scelere me obstringam, ut propter vilem et momentaneam carnis delectationem vestram velim amicitiam, et aeternam beatitudinem perdere. Adjuva me, Christe Jesu, ut probe in omni meo certamine decertem, et per tuae gratiae rorem omnis in me carnis inflammatio extinquatur; ut per tuam misericordiam corpus et animum meum castum et purum conservem; ut impuras carnis voluptates non solum fugiam, sed et perhorrescam. Amen.

Oratio pro populo christiano.

Omnipotens sempiterne Deus! respice super universum populum christianum, effunde super ipsum Spiritum gratiae salutaris, eumque a vitiis purga, virtutibus illustra, carnalia desideria ab eo repelle, mentes ad coelestia desideria erige, aërem salubrem, ac terrae fertilitatem tribue, et pa-

cem tuam sanctam nostris temporibus concede; a peste, fame, bello, incendiis, jurgiis, schismate, et omni hostili nequitia nos protege, omnesque a via veritatis aberrantes ad viam rectam reducere dignare. Ecclesiam tuam sanctam exalta, et adauge ovile unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

CULTUS AMARISSIMAE PASSIONIS JESU CHRISTI.

Mysterium Incarnationis, Passionis ac Mortis Salvatoris nostri Jesu Christi nunquam deberet a memoria dimitti; nam passionis Christi pia recordatio fructus saluberrimos adfert animae nostrae. E contra gravis, horrenda et periculosa est mortalium ingratitudo, quod Jesu Christi Salvatoris sui passionis et mortis, pro salute nostra susceptae et peractae, adeo obliviscantur, parum curent, et plane negligant.

Oblivio illa in homine est apertum signum contemtus; non enim obliviscitur homo illius, quod magni aestimat. Quanta ergo est ingratitudo, cum homo obliviscitur, et parvi pendit id, quod maximum est beneficium? Nisi enim Christus pro nobis mortuus fuisset, aeternum perivissemus. Nisi Pater ita nos dilexisset, ut Filium suum unigenitum daret pro redemtione nostra, nunquam salvi fuissemus; et tamen

ista pauci homines aestimant; imo, quasi nil factum fuisset, plane obliviscuntur.

Ad hanc igitur memoriam passionis Christi frequenter recolendam saepius excitemur; praesertim feria sexta et sabbatho, quoties nos cruce signamus, quoties penes effigiem Christi crucifixi transimus, quoties ad Missae sacrificium, vel ad sacram Communionem accedimus, quoties adversi quid patimur.

Cruce te signans adora sanctissimam Trinitatem, quam enuncias, et ex signo crucis recordare, redemtionem humani generis in cruce peractam fuisse, propter quod ipsum tam frequenter nos cruce signare consuevimus, ut quasi jugiter mortis Christi in cruce pro nobis susceptae recordaremur.

Quoties penes effigiem Christi crucifixi transis.

O r a t i o.

Domine Jesu Christe! per amaritudinem tuam, quam sustinuisti in cruce, maxime quando anima tua benedicta egrediebatur e sanctissimo corpore tuo; miserere animae meae in egressu suo, et memento tunc mei, sicut memor fuisti latronis in cruce poenitentis.

Ad initium Missae sacrificii memor esto Passionis et mortis Christi; nam in hunc finem Christus ordinavit Missae sacrificium: »Hoc facite in meam commemorationem.« Luc. 22. Et Missa, quae est Sacri-

ficium incruentum, semper futuris temporibus rememorat illud cruentum, quo se Christus in cruce pro salute nostra obtulerat. Est autem in utroque hoc Sacrificio eadem Hostia.

Pariter semper memor sis amarae Christi passionis, quoties ad sacram Communionem accedis, juxta illud I. Cor. 11. »Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, — mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.« Illud enim ipsum corpus Christi, quod sumis, olim pro te flagellis et morti traditum est.

Dum adversi quid pateris, assuesce mox recordari Christi patientis. Compara hoc, quod pateris, cum passionibus Christi, et invenies, quod tua afflictio nihil sit respectu eorum, quae Christus ex amore incomprehensibili pro te passus est; et tu pro mercede aeterna nihil in hoc mundo vis pati? Adora itaque in corde Christum crucifixum pro te; gratias age pro immissa tibi tribulatione, et totum te ad pedes Christi commenda fructibus passionis ejus.

Quam multum sit positum in adversis patienter sufferendis, saepius perpende. In perferendis adversis thesaurus est inaestimabilis; nam in amaritudine et afflictionis tolerantia fomes peccati quasi injecto froeno coërcetur, inordinatus appetitus infringitur, arrogantia subigitur, caro rebellis compescitur, judicium serenatur, voluntas cicuratur, omnes animae et corporis vires ad rationis imperium reducuntur; super

haec omnia amor divinus movetur ad condolendum afflicto, qui adversa lubens admittit; imo patiens quodammodo Christo, suo Salvatori assimilatur. Certum enim est, quod in Christo capite accidit, id ipsum ad finem mundi in membris ejus, qui sunt justi et praedestinati, continua serie accidere debere; fieri enim non potest, ut membra a capite discordent.

In hac una scientia omnis sita est animae felicitas; unde qui veritatem hanc aversantur, dementes sunt, et qui eam ignorant, stultescunt; siquidem universa coelestis Philosophia in eo est, ut quis felicissimam pauperum, humilium, afflictorum et contemtorum sortem cognoscat, cognitam amet et amplectatur.

Tuum igitur esto, adversa pati, et non alteri parare; premi te magis oportet, quam alios premere, persecutionem pati, et non inferre, crucem tollere et onus ejus, et non in alium detrudere. Si quis te insectatur, toto corde illum ama, et in pretio habe veluti instrumentum justitiae divinae; labores et adversa amplectere, nam praeterquam, quod talia merearis, sunt ornamenta animae tuae.

In hac mortali vita una sit tibi gloria in persecutionibus, contemtu, infirmitate, egestate, adversitate, et quidquid carni molestum esse potest.

Quapropter nunquam tecum expende, quantum pateris; neque illa, quae pateris, spe levaminis aliis hominibus propala, et

plane nunquam cum aliqua exaggeratione de tuis discurre miseriis; neque unquam ex ore tuo audiatur, multum esse, quod pateris, sed in omnibus recordare Christi patientis, et omnia adversa Christi patientis recordatione dulcorabis.

Haec est scientia illa Sanctorum, quam nescit mundus; hujus studiosum te esse oportet. Venient tibi omnia pariter cum ea.

Litaniae de Passione Domini.

Kyrie eleison Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
Sancta Trinitas unus Deus.
Jesu triginta argenteis appretiate.
Jesu ad discipulorum pedes inclinate.
Jesu in oratione prostrate.
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse.
Jesu osculo a Juda tradite.
Jesu a ministris ligate.
Jesu a discipulis derelicte.
Jesu Annae et Caiphae praesentate.
Jesu alapa a ministro percusse.
Jesu a falsis testibus accusate.
Jesu reus mortis judicate.
Jesu in faciem conspute.
Jesu oculis velate, et colaphis caese.
Jesu a Petro ter negate.
Jesu vinctus Pilato tradite.
Jesu ab Herode et ejus exercitu sprete et illuse.
Jesu veste alba indute.
Jesu Barabbae postposite.

Miserere nobis.

Jesu flagellis caese.
Jesu propter scelera nostra attrite.
Jesu veste purpurea indute.
Jesu spinis coronate.
Jesu arundine percusse.
Jesu a Judaeis ad crucem postulate.
Jesu morte turpissima condemnate.
Jesu crucis pondere gravate.
Jesu vestibus exute.
Jesu clavis in cruce confixe.
Jesu cum iniquis reputate.
Jesu a praetereuntibus blasphemate.
Jesu a Judaeis derise.
Jesu a latrone injuriis lacessite.
Jesu opprobriis saturate.
Jesu felle et aceto in siti potate.
Jesu usque ad mortem crucis obediens facte.
Jesu lancea transfixe.
Jesu de cujus latere exivit sanguis et aqua.
Jesu de cruce deposite.
Jesu in monumento novo tumulate.
Jesu cujus livore sanati sumus.
Jesu pro nobis crucifixe, mortue et sepulte.

} Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis Jesu.
Christi audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
Adoramus te Christe, et benedicimus te.
Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam,

nunc et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam, defunctis requiem, ecclesiae tuae pacem et concordiam, omnibus misericordiam, vitam, et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas, etc.

Oratio ad Jesum crucifixum.

Jesu Christe crucifixe! Deus cordis mei! obsecro te per quinque illa vulnera, quae tibi in cruce nostri amor inflixit; tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

O amantissime Jesu, qui sponsus sanguinum mihi esse voluisti, ad sanctissimos pedes tuos me prosterno, utque meum in te amorem ac debitam gratitudinem contester, te verum Deum et verum hominem profiteor, te Deum meum et Salvatorem meum adoro. Quid retribuam tibi, mi Jesu, qui usque in finem dilexisti me, qui sanctissimum corpus, sanguinem et vitam dedisti pro me? Quis mihi tribuat, ut sicut tu me, ita ego te cordi meo inscriptum circumferam? O Jesu! quam profuso charitatis affectu me complexus es, qui non tantum manus ac pedes, verum et opulentissimum pectus mihi aperiri voluisti, ut inexhausta bonorum coelestium affluentia desiderium meum expleres.

Quid ego vilis vermis tibi, Salvator mi, rependam pro tanto amore, quo te ipsum pro me in amarissimam passionem et mortem acerbissimam voluntarie obtulisti? Adminus ergo sacratissimae tuae passionis

memor ero, et recogitabo in amaritudine animae meae acerbissimos pro me dolores tuos. Suscipe a me vilissimo mancipio tuo gratitudinis loco hanc tuae passionis memoriam.

Tu vero, misericordissime Jesu, qui tanta pro me passus es, scribe in corde meo vulnera tua pretioso sanguine tuo, ut in eis legam dolorem tuum pariter ac amorem. Excitetur dolor compassionis tuae in me, et ardor dilectionis tuae in me accendatur. Da, ut omnis creatura mihi vilescat, et tu solus mihi in corde meo dulcescas in aeternum. Amen.

Oratio pro felici morte.

O Pater aeterne! per vitam et mortem unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, perque omnem bonitatem tuam te rogo, concede mihi, ut in bono perseverem, et in gratia tua moriar.

O bone Jesu! per extrema illa in cruce verba, quibus Patri Spiritum tuum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

O Spiritus sancte Deus! te rogo, ut sancta inspiratione tua me semper, et potissimum in hora mortis meae adjuves.

Sanctissima Trinitas unus Deus! miserere mei nunc, et in fine vitae meae.

Deus propitius esto mihi peccatori, custodi me, et sis mecum omnibus diebus vitae, praesertim in hora mortis meae. Amen.

De septem Verbis a Christo in cruce prolatis.

1. Verbum.

Ave Jesu, qui mactaris,
Sed tortorum, deprecaris
  Patrem, culpae parcere.
Promte fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere,
  Corde, verbis, opere.

2. Verbum.

Ave Jesu, qui Latroni
Poenitenti, summi Boni
  Promisisti gratiam.
Tali nos contritione,
Nunc et mortis in agone
  Fac mereri veniam.

3. Verbum.

Ave Jesu, qui praesentem
Cruci Matrem, heu! dolentem
  Commendas Discipulo.
Pari nos tuere cura;
Per te constet mens secura
  Quovis in periculo.

4. Verbum.

Ave Jesu, qui dixisti:
Pater! Quid me reliquisti
  Tantis in suppliciis?
Ne nos linquas, ut ruamus,
Semper tecum persistamus
  Fortes in angustiis.

5. Verbum.

Ave Jesu, qui testaris
Sitim; sed, heu! quo potaris,

Tu, qui pascis omnia?
Fac aeterna nos sitire,
Mundi, carnis fastidire
Fugitiva gaudia.

6. Verbum.

Ave Jesu, consummasti
Jussa Patris, et donasti
Tua nobis merita.
Bene fac nos inchoare,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

7. Verbum.

Ave Jesu, qui sermonem
Mortc claudens, et agonem,
Patri tradis animam.
O mors tua nos emundet,
Vitam bonis fac foecundet,
Mortem det tutissimam.

Hymnus de sancta Cruce.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis Mysterium,
Qua Vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis

Pretium pependit saeculi;
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.
  O crux ave, spes unica,
Hoc passionis tempore;
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
  Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis Spiritus;
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

O r e m u s.

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem; concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gloriam consequamur. Per Dominum nostrum etc.

Officium sanctae crucis.

Ad Matutinum.

Per signum sanctae crucis de inimicis nostris.
Libera nos Deus noster.
Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

H y m n u s.

Patris sapientia, veritas divina,
Deus homo captus est hora matutina.
A notis discipulis cito derelictus,
A Judaeis traditus, venditus, afflictus.

Antiph. O crux venerabilis! quae salutem attulisti miseris, quibus te efferam praeconiis, quoniam vitam nobis coelitem praeparasti.

Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam nunc, et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam, Ecclesiae tuae pacem et concordiam, et nobis peccatoribus gratiam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Per signum crucis etc. ut supra in Matut.

Hymnus.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,
Et a falsis testibus multum accusatum;
Colaphis percutiunt manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli gratum.

Antiph. O crucis victoria, et admirabile signum! in coelesti curia fac nos captare triumphum.

Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Ad Tertiam.

Per signum crucis etc.

Hymnus.

Crucifige, clamitant hora tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum,
Caput ejus pungitur corona spinarum.
Crucem portat humeris ad locum poenarum.

Antiph. Funestae mortis damnatur supplicium, dum Christus in cruce nostra destruxit vincula criminum.

Adoramus te Christe, etc.
Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Ad Sextam.

Per signum crucis etc.

Hymnus.

Hora sexta Jesus est cruci conclavatus,
Et cum latronibus pendens deputatus;
Prae tormentis sitiens felle saturatus,
Agnus crimen diluens sic ludificatus.

Antiph. Per lignum servi facti sumus; et per sanctam crucem liberati sumus. Fructus arboris seduxit nos, et Filius Dei redemit nos.

Adoramus te Christe, etc.
Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Ad Nonam.

Per signum crucis etc.

Hymnus.

Hora nona Dominus Jesus expiravit,
Eli clamans, spiritum Patri commendavit;
Latus ejus lancea miles perforavit,
Terra tunc contremuit, et sol obscuravit.

Antiph. O magnum pietatis opus! Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua Vita fuit.

Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Ad Vesperas.

Per signum crucis etc.

Hymnus.

De cruce deponitur hora verspertina,
Fortitudo latuit in mente divina,
Talem mortem subiit vitae medicina.
Heu! corona gloriae jacuit supina.

Antiph. O crux benedicta, quae sola fuisti digna, portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; super omnia ligna Cedrorum tu sola excelsior, in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in aeternum.

Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Ad Completorium.

Per signum crucis etc.
Converte nos Deus salutaris noster.
Et averte iram tuam a nobis.
Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hora completorii datur sepulturae
Corpus Christi nobile, spes vitae futurae.
Conditur aromate, complentur Scripturae;
Jugis sit memoria mortis suae durae.

Antiph. Salvator mundi salva nos, qui per crucem et sanguinem tuum redemisti nos; auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe, etc.

Commendatio.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo pia ratione,
Ut, qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui nobis in foraminibus petrae, sacratissimis Domini nostri Jesu Christi vulneribus, in omni tribulatione et angustia singulare praesidium benignissime praeparasti; da mihi per eorundem merita remissionem peccatorum; et servandi mandata tua, teque ex toto corde diligendi gratiam benigniter elargire: ut, cum ex hac aerumnosa miseriarum valle fuerit emigrandum, in divinissimo Dominici cordis vulnere, velut insuperabili propugnaculo, ab omni diabolica infestatione securus delitescam, et coram supremi vivorum et mortuorum Judicis tribunali cum fiducia comparens, et haec ejus omni radio solari splendidiora

vulnera in novissimo die summo cum gaudio intuens, dulcissimam Electorum sententiam: Venite, benedicti Patris mei; feliciter adipiscar. Per eundem Dominum nostrum etc.

ORATIONES IN FESTIS DOMINI MAJORIBUS PER ANNUM.

Dominica I. Adventus.

Fratres, hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

Ecce nomen Domini venit de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum.

Rorate coeli desuper, et nubes pluant Justum.

Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

O r e m u s.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam, et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis et regnas etc.

Dominica II. Adventus.

Fratres, quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem scripturarum spem habeamus.

Veni, Domine, visitare nos in pace, ut laetemur coram te corde perfecto.

Rorate coeli, etc.

O r e m u s.

Excita Domine corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum, etc.

Dominica III. Adventus.

Fratres, gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est.

Veniet Dominus, et non tradebit, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit se ad omnes gentes!

Rorate coeli, etc.

O r e m u s.

Aurem tuam, quaesumus Domine, precibus nostris accomada, et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra. Qui vivis etc.

Dominica IV. Adventus.

Ecce, completa sunt omnia, quae dicta sunt per angelum de Virgine Maria.

O Emmanuel, Rex et legifer noster, expectatio gentium, et salvator earum; veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.

Rorate coeli, etc.

O r e m u s.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute suc-

curre; ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret. Qui vivis et regnas, etc.

In vigilia Nativitatis Domini.

Dominus veniet; occurrite illi, dicentes: Magnum Principium, et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis. Alleluja.

Crastina erit vobis salus, dicit Dominus Deus exercituum.

Crastina die delebitur iniquitas terrae.

Et regnabit super nos Salvator mundi.

O r e m u s.

Deus, qui nos redemtionis nostrae annua expectatione laetificas; praesta, ut Unigenitum tuum, quem Redemtorem laeti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In Nativitate Domini.

Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Notum fecit Dominus, alleluja.
Salutare suum, alleluja.

Oremus.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eundem Dominum, etc.

In Circumcisione Domini.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo.

Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.

Verbum caro factum est. Alleluja.
Et habitavit in nobis. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui salutis aeternae, B. Mariae Virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum, etc.

In Epiphania Domini.

Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

Hymnus.

Crudelis Herodes, Deum
Regem venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat coelestia.
Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes praeviam;
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lavacra puri gurgitis
Coelestis Agnus attigit;
Peccata, quae non detulit,
Nos abluendo sustulit.
Novum genus potentiae:
Aquae rubescunt hydriae,
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

Reges Tharsis et insulae munera offerent.
Reges Arabum et Saba dona adducent.

Oremus.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum, etc.

Dominica I. Quadragesimae.

Fratres, hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.

Hymnus.

Audi, benigne conditor,
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus;
Ad Nominis laudem tui
Confer medelam languidis.
Concede nostrum conteri
Corpus per abstinentiam,
Culpae ut relinquant pabulum
Jejuna corda criminum.
Praesta beata Trinitas,
Concede simplex Unitas,
Ut fructuosa sint Tuis
Jejuniorum munera. Amen.

Angelis suis Deus mandavit de te;
Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas: praesta familiae tuae, ut, quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum, etc.

Dominica Resurrectionis Domini.

Haec dies, quam fecit Dominus; exultemus, et laetemur in ea.

Hymnus.

Ad regias Agni dapes,
Stolis amicti candidis,
Post transitum maris rubri
Christo canamus Principi.
Divina cujus charitas
Sacrum propinat sanguinem,
Almique membra corporis
Amor Sacerdos immolat.
Sparsum cruorem postibus
Vastator horret angelus:
Fugitque divisum mare,
Merguntur hostes fluctibus.
Jam Pascha nostrum Christus est:
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.
O vera coeli victima,
Subjecta cui sunt tartara;
Soluta mortis vincula,
Recepta vitae praemia.
Victor subactis inferis
Trophaea Christus explicat,
Coeloque aperto subditum
Regem tenebrarum trahit.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula. Amen.

Oremus.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum Aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti: vota nostra, quae praeve-

niendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem Dominum, etc.

In Ascensione Domini.

Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.

Hymnus.

Salutis humanae sator,
Jesu, voluptas cordium,
Orbis redemti conditor,
Et casta lux amantium.
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres.
Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis;
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Tu dux ad astra, et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lachrymarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium. Amen.

Ascendit Deus in jubilatione, alleluja.
Et Dominus in voce tubae, alleluja.

Oremus.

Concede quaesumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Re-

demtorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem Dominum, etc.

In festo Pentecostes.

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes.

Hymnus.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclitus
Illapsus est Apostolis.
Ignis vibrante lumine
Linguae figuram detulit,
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.
Linguis loquuntur omnium;
Turbae pavent gentilium;
Musto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.
Patrata sunt haec mystice,
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum circulo,
Quo lege fit remissio.
Te nunc Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis coelitus
Largire dona Spiritus.
Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia:
Dimitte nostra crimina,
Et da quieta tempora.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluja.
Et coeperunt loqui magnalia Dei. Alleluja.

O r e m u s.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum, etc.

In festo SS. Trinitatis.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!

Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus nobis. Amen.

Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab

omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum, etc.

In festo S. Corporis Christi.

Fratres, ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur; recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur. Alleluja.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitae vesperam.
In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem:
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.
Se Nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se Moriens dat in pretium,
Se Regnans dat in praemium.
O salutaris Hostia,
Quae coeli pandis ostium:
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Uni, trinoque Domino
Sit sempiterna gloria:
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

Panem de coelo praestitisti eis, alleluja.
Omne delectamentum in se habentem, alleluja.

O r e m u s.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas, etc.

In festo SS. Nominis Jesu.

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

Sit nomen Domini benedictum, alleluja.
Ex hoc nunc, et usque in saeculum. Alleluja.

O r e m u s.

Deus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius, ut cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in coelis. Per eundem Dominum, etc.

CULTUS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Turpe admodum est peccatum, et oculis Domini detestabile, si Sancti Dei regnantes cum Deo in coelis, et ipsa B. V. Maria, Coelorum Regina, quae est Mater Domini, et peccatorum Refugium, ab aliquibus vilipendantur. Certe, si non amare inimicum, coram Deo culpa est; quomodo culpa non esset, Dei amicos non amare? et praesertim Dei matrem, Jesu Christi Salvatoris nostri? quam Deus Pater adamavit, et respexit ut unicam Electam, quam elegit sibi Dei Filius in amabilem matrem, et Spiritus sanctus in dilectam sponsam suam.

Hanc ergo, quam ipse Deus amavit super omnes alias creaturas, quam omnes Angeli, quam omnes Apostoli et Sancti ex intimo cordis affectu veneratione sunt prosecuti; nos quoque devoti fideles omni pietatis affectu, quia Mater Dei, et simul

mater misericordiae est, respicere, et in matrem nobis deposcere debemus.

Ipsa sancta Ecclesia ad id nos hortatur, dum ad pulsum campanae ter de die nos admonet, simulque docet, quomodo de mane, in prandio, et vesperi debeamus B. V. Mariam salutare. Proponit pariter plures festivitates B. V. Mariae per annum celebrandas, quibus maternum ejus affectum possemus nobis lucrari.

De hac beatissima Dei Genitrice habetur Prov. 8. »Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino; qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.« Et S. Anselmus: »Sicut, o Beatissima! omnis a te aversus et a te despectus necesse est, ut intereat; ita omnis ad te conversus et a te respectus, impossibile est, ut pereat.« Signum itaque reprobationis erit in homine, qui nullum gustum devotionis habuerit erga Genitricem Dei Mariam.

Quisquis ergo cupit esse filius Mariae, et illam sibi exoptat lucrari in matrem, haec duo observet:

1. Omni conatu caveat sibi a peccato mortali; et si labi contingeret, immediate per poenitentiam se erigat, ac amissam Dei gratiam reparare studeat.

2. Saepius aliquam devotionem habeat erga B. V. Mariam, et assuescat, ut in omni tentatione, periculo, angustia, et quidquid adversi acciderit, recurrat ad

B. V. Mariam, ad minus interne dicendo et suspirando: Ave Maria.

Litaniae Lauretanae B. V. Mariae.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus. Miserere nobis.

(Ora pro nobis.)

Sancta Maria.
Sancta Dei Genitrix.
Sancta Virgo virginium.
Mater Jesu Christi.
Mater divinae gratiae.
Mater purissima.
Mater castissima.
Mater inviolata.
Mater intemerata.
Mater amabilis.
Mater admirabilis.
Mater Creatoris.
Mater Salvatoris.
Virgo prudentissima.
Virgo veneranda.
Virgo praedicanda.
Virgo potens.
Virgo clemens.
Virgo fidelis.
Speculum justitiae.
Sedes sapientiae.
Causa nostrae laetitiae.
Vas spirituale.
Vas honorabile.
Vas insigne devotionis.
Rosa mystica.
Turris Davidica.
Turris eburnea.
Domus aurea.

Foederis arca.
Janua coeli.
Stella matutina.
Salus infirmorum.
Refugium peccatorum.
Consolatrix afflictorum.
Auxilium Christianorum.
Regina Angelorum.
Regina Patriarcharum.
Regina Prophetarum.
Regina Apostolorum.
Regina Martyrum.
Regina Confessorum.
Regina Virginum.
Regina Sanctorum omnium.

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.
Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo

nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ora pro nobis, Beatissime Joseph.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O r a t i o.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Quatuor Antiphonae celebres de B. V. Maria pro diversitate temporum.

A primis Vesperis Dominicae I. Adventus usque ad festum Purificationis B. V. M.

A n t i p h o n a.

Alma Redemtoris mater, quae pervia coeli porta manes, et stella maris; succurre cadenti, surgere qui curat, populo; tu, quae genuisti natura mirante tuum sanctum Genitorem; Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore sumens illud Ave; peccatorum miserere.

Angelus Domini nuntiavit Mariae.
Et concepit de Spiritu sancto.

O r e m u s.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, etc.

A primis Vesperis Nativitatis, et deinceps.

Post partum Virgo inviolata permansisti.
Dei Genitrix, intercede pro nobis.

O r a t i o.

Deus, qui salutis aeternae B. Mariae Virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti; tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

A festo purificationis B. M. V. usque ad feriam V. in Coena Domini.

A n t i p h o n a.

Ave Regina coelorum, ave Domina Angelorum. Salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta. Gaude Virgo gloriosa, super omnes speciosa.

Vale, o valde decora, et pro nobis Christum exora.

Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

O r a t i o.

Concede, misericors Deus, fragilitati

nostrae praesidium, ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A Sabbatho sancto usque ad Pentecosten.

Antiphona.

Regina coeli laetare. Alleluja.
Quia, quem meruisti portare. Alleluja.
Resurrexit, sicut dixit. Alleluja.
Ora pro nobis Deum. Alleluja.
Gaude et laetare, Virgo Maria. Alleluja.
Quia surrexit Dominus vere. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.

Antiphona.

Salve Regina, Mater misericordiae, vitae dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lachrymarum valle. Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui,

nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.
Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O r a t i o.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti; da, ut, cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Orationes ad B. V. M. pro felici morte.

Domina mea sancta Maria! sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te effecit matrem potentissimam; ita mihi quaeso adsis in hora mortis, expellendo a me omnem contrariam potestatem.

Domina mea sancta Maria! sicut te Filius Dei tanta sui cognitione et claritate dignatus est, ut totum coelum illuminares; ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres et corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur.

Domina mea sancta Maria! sicut Spiritus sanctus suum amorem tibi plene infudit; ita tu in hora mortis dulcedinem amoris

divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.

Sanctissima Dei parens Virgo Maria, per acerbissimae passionis Jesu Christi Filii tui merita te supplex exoro, ut si forte hodie, vel hac hora me mori contigerit, mei memineris. O amantissima Mater mea! in manus tuas commendo animam meam, et corpus meum, et finem vitae meae.

O Domina dulcissima, Mater misericordiae! succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea et improvisa superveniat, ne subito et imparatus de hoc mundo transeam.

Ora pro me, Maria Virgo benedicta! ob unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi mortem amarissimam, ut peccati detestatione, diaboli et operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura et humili confessione, poenitentia et satisfactione, digna sanctissimorum Sacramentorum perceptione, et proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Fac mecum misericordiam tuam, o beata Virgo Mater Dei! in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, et mortua lingua se non poterit movere ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, auresque meae nulli voci patescent.

Memor esto tunc precum, o Maria! quas nunc fundo ad aures pietatis tuae, et subveni mihi in illa hora ultimae necessitatis meae, ut liberer ab omnibus tentationibus,

et collocer cum Christi fidelibus, servis Filii tui et amicis.

O beatissima Virgo Maria! tu Mater Dei, tu et mater rei; tu Mater judicis, tu et mater exulis. Cum sis Mater utriusque filii; ne sinas filium reum damnari per Filium Deum, sed materna pietate procura, ut filius reus reconcilietur Filio, qui est Deus, et per Filium judicem filium exulem recipe in patriam. Amen.

Hymnus ad B. V. M.

Omni die dic Mariae
Mea laudes anima!
Ejus festa, ejus gesta
Cole devotissima.

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem;
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet;
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia;
Haec Regina nos divina
Illustravit gratia.

Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae;
Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine.

Sine fine dic Reginae
Mundi laudum cantica;
Ejus dona semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam;
Frequentate tam beatae
Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertae
Extat eloquentiae,
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiae.
Quamvis sciam, quod Mariam
Nemo digne praedicet;
Tamen vanus et insanus
Est, qui illam reticet.
Cujus vita erudita,
Disciplina coelica,
Argumenta et figmenta
Destruxit haeretica.
Hujus mores tanquam flores
Exornant Ecclesiam;
Actiones et sermones
Miram praestant gratiam.
Haec amanda et laudanda
Cunctis specialiter;
Venerari, praedicari,
Decet eam jugiter.
Ipsa donet, ut, quod monet
Natus ejus, faciam,
Ut finita carnis vita
Laetus Hanc aspiciam.

Oratio S. Bernardi ad B. M. V.

Ave Maria, Ancilla sanctissimae Trinitatis! Ave Maria, Sponsa Spiritus sancti! Ave Maria, Mater Domini nostri Jesu Christi! Ave Maria, Soror Angelorum, Regina Prophetarum, Promissio Patriarcharum, Magistra Evangelistarum, Doctrix Apostolorum, Consolatrix Martyrum, Fons et Pulchritudo Confessorum, Decus et Co-

rona, Virginum, Salus et Consolatio vivorum et mortuorum. Mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustiis et infirmitatibus meis, et impetra mihi veniam omnium delictorum meorum, et maxime in hora exitus mei non desis mihi, o piissima Virgo Maria. Amen.

Hymnus.

Ave maris stella, Dei mater alma, atque semper Virgo, felix coeli porta.

Sumens illud Ave Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis, profer lumen caecis, mala nostra pelle, bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem; sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.

Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac et castos.

Vitam praesta puram, iter para tutum, ut videntes Jesum, semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri, summo Christo decus, Spiritui sancto: tribus honor unus. Amen.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum, etc.

Hymnus.

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
  Contristatam et dolentem
  Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
  Fuit illa benedicta
  Mater Unigeniti!

Quae moerebat et dolebat,
  Pia mater dum videbat
  Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
  Matrem Christi si videret
  In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
  Christi matrem contemplari
  Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
  Vidit Jesum in tormentis,
  Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
  Moriendo desolatum,
  Dum emisit spiritum.

Eja mater, fons amoris,
  Me sentire vim doloris
  Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
  In amando Christum Deum,
  Ut sibi complaceam.

Sancta mater istud agas,
  Crucifixi fige plagas
  Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati,
  Tam dignati pro me pati,
  Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
  Crucifixo condolere,
  Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,
  Et me tibi sociare
  In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
  Mihi jam non sis amara,
  Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
  Passionis fac consortem,
  Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
  Fac me cruce inebriari,
  Et cruore Filii.
Fac me cruce custodiri,
  Morte Christi praemuniri,
  Confoveri gratia.
Flammis ne urar succensus,
  Per te Virgo sim defensus
  In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
  Da per Matrem me venire
  Ad palmam victoriae.
Quando corpus morietur,
  Fac, ut animae donetur
  Paradisi gloria. Amen.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

O r e m u s.

Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe! nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

In festo Conceptionis B. Mariae Virginis.

Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiae, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Conceptio est hodie sanctae Mariae
Virginis.
Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

O r e m u s.

Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire: ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, conceptionis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum, etc.

In festo Purificationis B. V. Mariae.

Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.

Cum inducerent puerum Jesum paren-

tes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.

Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto.
Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eundem Dominum etc.

In festo Annuntiationis B. V. Mariae.

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

Spiritus sanctus superveniet in te, Maria, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Canticum B. V. Mariae. Luc. I.

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri, etc.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Benedicta tu in mulieribus.

O r e m u s.

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum, etc.

In Assumtione B. V. Mariae.

Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans? Filia Sion tota

formosa et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol.

Hodie Maria Virgo coelos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in aeternum.

Exaltata est sancta Dei Genitrix,

Super Choros Angelorum ad coelestia regna.

Oremus.

Famulorum tuorum, quaesumus, Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit, etc.

In Nativitate B. V. Mariae.

Gloriosae Virginis Mariae ortum dignissimum recolamus, quae et Genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime poscimus.

Diffusa est gratia in labiis tuis.

Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Oremus.

Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum, etc.

In festo S. Nominis B. V. Mariae.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tui sancti Nominis commemorationem.

Benedicta es Maria, quae credidisti; perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino.

Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimae Virginis Mariae Nomine et protectione laetantur, ejus pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in coelis. Per Dominum nostrum, etc.

CULTUS SS. ANGELORUM.

Litaniae de sanctis Angelis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum. Ora pro nobis.

Sancte Michaël, qui populo Dei semper defensor fuisti.
Sancte Michaël, qui Luciferum cum complicibus rebellibus de coelo deturbasti.
Sancte Michaël, qui accusatorem fratrum nostrorum in profundum inferni dejecisti.
Sancte Gabriel, qui Danieli divinam visionem patefecisti.
Sancte Gabriel, qui Joannis Baptistae ortum et ministerium praenuntiasti.
Sancte Gabriel, qui incarnationis Verbi divini nuntius extitisti.
Sancte Raphaël, qui Tobiam salvum duxisti, et reduxisti.
Sancte Raphaël, qui daemonium a Sara depulisti.
Sancte Raphaël, qui Tobiam seniorem illuminasti.

} Ora pro nobis.

Sancti Angeli.
Qui super Dei solium excelsum et elevatum statis.
Qui jugiter Deo: Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinitis.
Qui discussis tenebris mentem nostram illuminastis.
Qui Divina hominibus nuntiastis.
Qui hominum custodiam a Deo accepistis.
Qui semper faciem Patris, qui in coelis est, videtis.
Qui super uno peccatore poenitentiam agente gaudetis.
Qui Sodomitas caecitate percussistis.
Qui Loth de medio peccatorum eduxistis.
Qui per scalam Jacob ascendistis et descendistis.
Qui in monte Sinai divinam legem Moysi tradidistis.
Qui Christo nato gaudium hominibus annuntiastis.
Qui Christo in deserto ministrastis.
Qui Lazarum in sinum Abrahae deportastis.

} Orate pro nobis.

Qui juxta Christi sepulchrum in albis sedistis.
Qui Christo in coelum ascendente, ejus discipulis apparuistis.
Qui Christum ad judicium venturum cum signo crucis praecedetis.
Qui Electos in fine saeculi congregaturi estis.
Qui Malos de medio Justorum separabitis.
Qui orantium preces ad Deum defertis.
Qui morientibus assistitis.
Qui animas Justorum, ab omni labe purgatas ad coelum deducitis.
Qui prodigia et miracula virtute Dei perpetratis.
Qui haereditatem salutis capientibus in ministerium mittimini.
Qui super regna et provincias constituti estis.
Qui hostium exercitus saepe dissipastis.
Qui Dei famulos ex carceribus et aliis vitae periculis saepe liberastis.
Qui sanctis Martyribus in tormentis saepe solatio fuistis.
Qui Ecclesiae Praelatos et Principes, ejusdem nutritios peculiari cura fovere soletis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines.

} Orate pro nobis.

A cunctis periculis, per sanctos Angelos tuos.
Ab insidiis diaboli.
Ab omni haeresi et schismate.
A peste, fame et bello.
A subitanea et improvisa morte.
A morte perpetua.

} Libera nos domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Per SS. Angelos tuos.
Ut nobis parcas.
Ut nobis indulgeas.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris.
Ut Domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines protegere digneris.

} Te rogamus audi nos.

Ut Imperatori nostro N. et omnibus Principibus christianis pacem et unitatem largiri digneris. Te rogamus audi nos.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

Benedicite Dominum omnes Angeli ejus.
Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.
Benedicite Domino omnes virtutes ejus.
Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.
Angelis suis mandavit de te.
Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.
Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

O r e m u s.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas; concede propitius, ut, a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

Per Dominum nostrum, etc.

Litaniae ad S. Angelum Custodem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Maria, Regina Angelorum.
Sancte Angele, Custos meus.
Sancte Angele, Princeps meus.
Sancte Angele, Admonitor meus.
Sancte Angele, Consultor meus.
Sancte Angele, Tutor meus.
Sancte Angele, Procurator meus.
Sancte Angele, Consolator meus.
Sancte Angele, Amator meus.
Sancte Angele, Praeceptor meus.
Sancte Angele, Pastor meus.
Sancte Angele, Testis meus.
Sancte Angele, Adjutor meus.
Sancte Angele, Vigil meus.
Sancte Angele, Negotiator meus.
Sancte Angele, Intercessor meus.
Sancte Angele, Susceptor meus.
Sancte Angele, Defensor meus.
Sancte Angele, Ductor meus.
Sancte Angele, Conservator meus.
Sancte Angele, Illuminator meus.
Sancte Angele, Gubernator meus.
} Ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater noster, etc.
Ora pro nobis, sancte Angele Custos.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabilis bonitatis tuae consilio cunctis fide-

libus ab utero matris Custodem corporis et animae specialem Angelum deputasti; concede, ut, quem mihi misericorditer tribuisti, sic observem et diligam, ut gratiae tuae munere, illiusque custodiae munimine protectus, in coelesti patria vultum gloriae tuae cum illo et caeteris Angelis merear contemplari. Per Dominum nostrum etc.

Sancte Custos Angele! Virgini Mariae me commenda jugiter, meae matri piae.

Cor amore saucia tam magnae Dominae, ut cum Deo diligam ipsam sine fine.

Et me hora obitus tuere pariter, ad coelestem patriam ducas feliciter.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

Obsecro te, Angelice Spiritus, cui ego indignus peccator sum commissus, ut indesinenter protegas, defendas, moneas, et munias me ab omni incursu diaboli vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle a me per virtutem sanctae crucis omnem tentationem, et quod mea non obtinent merita, tuis precibus effice apud altissimum Judicem, ut me non condemnet. Cumque per abrupta vitiorum me deviasse videris, per semitas justitiae ad Salvatorem meum me reducere satagas. Et in quacunque tribulatione vel angustia me esse perspexeris: auxilium Dei Omnipotentis tuo obtentu et precamine mihi adesse sentiam. Precor te, mi Custos, si fieri potest et expedit, notum mihi facias diem obitus mei,

et cum de corpore et ex hac vita migrandum fuerit, non permittas me a maligno spiritu terreri, neque in foveam desperationis deduci. Non dimittas me, Angelice Spiritus, donec ad visionem Conditoris mei me perducas, ubi simul ego pro opere, et tu pro custodia, una cum beatissima Dei Genitrice Maria et omnibus Sanctis, Domino adjuvante, in aeternum laetemur. Amen.

Hymnus ad S. Angelum Custodem.

Novo lucis exordio,
O Custos mi dulcissime,
Caecam mentis caliginem
Tuo splendore discute,
Et me divina monita
Benignus semper edoce.

Meas preces et lacrymas,
Fidus e coelo nuntius,
Quamvis indignas excipe,
Et summo Patri tradito,
Culpisque meis debitas
Supplex poenas avertito.

Afflictum, Clementissime,
Favore tuo recrea,
Ad virtutis officia
Semisopitum excita,
Cum sancto mens in opere
Nutarit, promtus adjuva.

Dissolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,

Peccati oppressum onere
    Praesenti manu subleva.
A coeli errantem semita
    Ad coeli viam revoca.

Invicta tua dextera
    Contunde vires daemonis,
Carnis retunde fomitem,
    Mundi frange superbiam,
Ut tuo sub praesidio
    Victor ab hoste redeam.

Flagello pigrum excita,
    Et reluctantem increpa,
Vitae labentis terminum
    In mentem saepe revoca.
In vitae brevi spatio
    Solertiorem facito.

In pugna mortis ultima
    Adsis mihi, fortissime;
Peracta demum fragili
    Vita, Ductor amabilis,
Me protinus aethereis
    Infer benigne sedibus.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Dominum nostrum, etc.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos angelica custodia munire dignatus es, concede quaesumus, ut tanta protectione securi, et a pravis cogitationibus liberemur in mente, et ab omnibus adversitatibus

eruamur in corpore. Per Dominum nostrum, etc.

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

Summae sedis minister, princeps militiae coelestis, sancte Michael! tibi corpus et animam tota intentione tuendam committo; tibi specialiter post Deum et Dei genitricem vitae et mortis meae curam commendo. Te hodie et quotidie in praesentia totius coelestis curiae pro singulari Patrono, Protectore et Advocato meo eligo. Obsecro igitur te per gloriam illam, qua in coelo jam frueris, ut hoc propositum et sincerum hunc affectum erga te meum gratum habeas. O serve Dei excelsi, S. Michaël! adesto mihi nunc et semper, at maxime in fine vitae meae; benigne me tunc consolare, conforta, et protege; impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum veniam, profundam humilitatem, et alias virtutes omnes; effice tuis gloriosis precibus et meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat. Insuper rogo te, ut in novissimo die benigne suscipias animam meam in sinu tuo sanctissimo, et eam ad requiem sempiternam cum exultatione perducas. Amen.

Oratio ad S. Gabrielem Archangelum.

Deus, qui inter caeteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuae mysterium, Gabrielem Archangelum elegisti;

concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in coelis. Qui vivis et regnas, etc.

Oratio ad S. Raphaëlem Archangelum.

Deus, qui per Angelum Raphaëlem utrumque Tobiam in cunctis periculis liberasti; praesta quaesumus, ut eodem pro nobis intercedente, angelico suffragio ab omnibus nos mentis et corporis hostibus tuearis, et ad patriam perducas aeternam. Amen.

CULTUS SANCTORUM DEI.

Cultum Sanctorum jam ab antiquo semper approbavit sancta mater Ecclesia, quae et Festa nonnulla Sanctorum celebranda instituit. Et laudabiliter quidem; si enim ipse Deus praecipit honorare parentes, revereri Sacerdotes, revereri sublimiores potestates; si mandavit, ut ipsos inimicos diligamus: quomodo ratum non haberet, si ejus reveremur amicos, Sanctos, jam in coelo cum Christo regnantes? Nullum enim Sanctorum, nec ipsam Dei Matrem colimus uti Deum; talis enim cultus Latriae soli Deo competit, et soli Dei integer semper manet. Sed Sanctos colimus et reveremur solum tanquam servos et Dei amicos, et propter Deum, quia ipsi fideliter servierunt. Neque ad Sanctos recurrimus ex quadam

diffidentia auxilii divini, quasi ipse Deus non sufficeret nobis, et sine Sanctis juvare nos non posset; sed quia ita ipsum Deum velle videmus, ut Sanctos, ejus amicos, apud suam divinam Majestatem intercessores nobis expetamus. Sic Gen. 20. potuit Deus benefacere Abimelech regi; et tamen nonnisi orante pro ipso Abraham. — Potuit Deus amicis Job peccata dimittere; et tamen non fecit, nisi orante pro ipsis Job. Job. 42.

Ad haec toti mundo notum est, quomodo ad sepulchra Sanctorum multi restituti sint sanitati, mortui ad vitam revocati, alii a daemonibus liberati, etc. imo, vestes, sudaria, umbra Sanctorum, priusquam e vita migrarent, depulit morbos; quis sanus negabit, Deum per Sanctos, eorumque sacros cineres eadem mirabiliter operari? Actor. 5. 19. Declaravit id cadaver illud, quod illatum in sepulchrum Elisaei; ac primum ossa Elisaei attigit, homo revixit. IV. Reg. 13.

Litaniae Omnium Sanctorum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum. Ora pro nobis.
Sancte Michaël. Ora pro nobis.

Sancte Gabriel. Ora pro nobis.
Sancte Raphaël. Ora pro nobis.
Omnes sancti Angeli et Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines. Orate pro nobis..
Sancte Joannes Baptista. Ora pro nobis.
Sancte Joseph. Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae. Orate pro nobis.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Jacobe.
Sancte Joannes.
Sancte Thoma.
Sancte Jacobe.
Sancte Philippe.
Sancte Bartholomaee.
Sancte Matthaee.
Sancte Simon.
Sancte Thaddaee.
Sancte Mathia.
Sancte Barnaba.
Sancte Luca.
Sancte Marce.
Ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae. Orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini. Orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes. Orate pro nobis.
Sancte Stephane. Ora pro nobis.
Sancte Laurenti. Ora pro nobis.
Sancte Vincenti. Ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane. Orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule. Orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane. Orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi. Orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres. Orate pro nobis.
Sancte Sylvester. Ora pro nobis.
Sancte Gregori. Ora pro nobis.
Sancte Ambrosi. Ora pro nobis.

Sancte Augustine. Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme. Ora pro nobis.
Sancte Martine. Ora pro nobis.
Sancte Nicolae. Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores. Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores. Orate pro nobis.
Sancte Antoni.
Sancte Benedicte.
Sancte Bernarde.
Sancte Dominice.
Sancte Francisce.
} Ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae. Orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitae. Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena.
Sancta Agatha.
Sancta Lucia.
Sancta Agnes.
Sancta Caecilia.
Sancta Catharina.
Sancta Anastasia.
} Ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae. Orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei. Intercedite pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab omni peccato.
Ab ira tua.
A subitanea et improvisa morte.
Ab insidiis diaboli.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate.
A spiritu fornicationis.
A fulgure et tempestate.
A morte perpetua.
Per mysterium S. Incarnationis tuae.
Per adventum tuum.
Per nativitatem tuam.
} Libera nos Domine.

Per baptismum et sanctum jejunium tuum.
Per crucem et passionem tuam.
Per mortem et sepulturam tuam.
Per sanctam resurrectionem tuam.
Per admirabilem ascensionem tuam.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti.
In die judicii.

} Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas.
Ut nobis indulgeas.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris.
Ut Domnum apostolicum, et omnes Ordines ecclesiasticos in sancta Religione conservare digneris.
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris.
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris.
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris.
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris.
Fili Dei.

} Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, etc.

Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.

Psalmus.

Deus in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum; Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu; Domine ne moreris.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Salvos fac servos tuos.
Deus meus, sperantes in te.
Esto nobis Domine turris fortitudinis.
A facie inimici.
Nihil proficiat inimicus in nobis.
Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus pro Pontifice nostro N.
Dominus conservet eum, et vivificet eum, et

beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Oremus pro benefactoribus nostris.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Oremus pro fidelibus defunctis.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. Amen.

Pro fratribus nostris absentibus.

Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

Et de Sion tuere eos.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

O r e m u s.

Deus, cui proprium est, misereri semper, et parcere; suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus! miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae; ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia

omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum, etc.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Oratio ad S. Joseph.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hymnus ad S. Joseph.

Iste, quem laeti colimus fideles,
Cujus excelsos canimus triumphos,
Hac die Joseph meruit perennis.
Gaudia vitae.
O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt
Ore sereno.
Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat aeternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.
Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernae
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores,
Trine, qui regnas Deus, et coronas
Aureas servo tribuis fideli
Omne per aevum. Amen.

Oratio ad S. Joachim.

Deus, qui prae omnibus Sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui patrem esse voluisti; concede quaesumus, ut cujus festa veneramur, ejus quoque perpetuo patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad S. Annam.

Deus, qui beatae Annae gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur; concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Oratio ad S. Joannem Baptistam.

Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti; da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis aeterne. Per Dominum nostrum, etc.

Hymnus ad S. Joannem Baptistam.

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum,
    Sancte Joannes.
Nuntius celso veniens Olympo,
Te patri magnum fore nasciturum;
Nomen et vitae seriem gerendae
    Ordine promit.
Ille promissi dubius superni
Perdidit promtae modulos loquelae.
Sed reformasti genitus peremtae
    Organa vocis.
O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Praepotens Martyr, nemorumque cultor,
    Maxime Vatum.
Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides revelle,
Asperum planans iter, et reflexos
    Dirige calles.
Ut pius mundi Sator et Redemtor,
Mentibus culpae sine labe puris,
Rite dignetur veniens beatos
    Ponere gressus.
Laudibus cives celebrent superni
Te, Deus simplex, pariterque trine,
Supplices et nos veniam precamur:
    Parce redemtis.

Canticum Zachariae. Luc. I.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemtionem plebis suae.

Et erexit cornu Salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad SS. Apostolos.

Deus, qui nos per beatos Apostolos tuos ad agnitionem tui nominis venirē tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam et proficiendo celebrare, et celebrando proficere. Per Dominum etc.

Hymnus ad SS. Apostolos.

Exultet orbis gaudiis,
Coelum resultet laudibus;
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.
Vos saeculorum Judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.

Qui templa coeli clauditis,
Serasque verbo solvitis,
Nos a reatu noxios
Solvi jubete, quaesumus.
Praecepta quorum protinus
Languor, salusque sentiunt;
Sanate mentes languidas,
Augete nos virtutibus.
Ut, cum redibit Arbiter
In fine Christus saeculi;
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse compotes.
Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

Oratio ad S. Petrum, Apostolorum principem.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni coelestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti: concede, ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicae confessionis petra solidasti. Per Dominum nostrum etc.

Ad S. Paulum Apostolum.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli Apostoli praedicatione docuisti; da nobis quaesumus, ut cujus commemoratio-

nem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum etc.

Hymnus ad Apostolorum principes.

Beate Pastor Petre, clemens accipe
Voces precantium, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita,
Aperire terris coelum, apertum claudere.
Egregie Doctor Paule, mores instrue,
Et nostra tecum pectora in coelum trahe:
Velata dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet charitas.
Mundi Magister, atque coeli Janitor,
Romae parentes, Arbitrique gentium,
Per ensis ille, hic per crucis victor necem
Vitae senatum laureati possident.
O Roma felix, quae duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine;
Horum cruore purpurata, caeteras
Excellis orbis una pulchritudines.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In Unitate, quae gubernat omnia,
Per universa aeternitatis saecula. Amen.

Oratio in festo omnium Martyrum.

Deus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum solemnitate laetificas, concede propitius, ut, quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum etc.

Hymnus ad SS. Martyres.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia;
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos fatue mundus abhorruit;
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contemsere tui nominis asseclae,
Jesu, Rex bone Coelitum.
Hi pro Te furias atque minas truces
Calcarunt hominum, saevaque verbera;
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.
Caeduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non quaerimonia;
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quae vox, quae poterit lingua retexere,
Quae tu Martyribus munera praeparas?
Rubri nam fluido sanguine fulgidis
Cingunt tempora laureis.
Te, summa o Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas;
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant. Amen.

Oratio ad S. Stephanum, Protomartyrem.

Da nobis quaesumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere; quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Levitae Stephani sanguine dedicasti; tribue quaesumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum

nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui etc.

Oratio ad S. Martyrem.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriae actionis gravat, beati N. martyris tui intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut intercedente beato N. martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Hymnus ad S. Martyrem.

Invicte Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens coelestibus.
Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitae repellens taedium.
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis saeculi
Dono superni Numinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Oratio ad S. Confessorem Pontificem.

Exaudi, quaesumus Domine, preces nostras, quas in beati N. Confessoris tui

atque Pontificis solemnitate deferimus; et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Alia oratio.

Da, quaesumus omnipotens Deus, ut beati N. Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

Hymnus ad S. Confessorem Pontificem.

Jesu Redemtor omnium,
Perpes corona praesulum,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.
Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit;
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.
Qui rite mundi gaudia
Hujus caduca respuens,
Aeternitatis praemio
Potitur inter Angelos.
Hujus benignus annue
Nobis, sequi vestigia;
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.
Sit, Christe Rex piissime,
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Oratio ad Doctorem Ecclesiae.

Deus, qui populo tuo aeternae salutis beatum N. ministrum tribuisti, praesta quae-

sumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum etc.

Oratio ad S. Confessorem.

Deus, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate laetificas; concede propitius, ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur, et qui nostrae justitiae fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum etc.

Hymnus ad S. Confessorem.

Iste Confessor Domini, colentes
Quem pie laudant populi per orbem,
Hac die laetus meruit beatas
Scandere sedes.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit aurae
Spiritus artus.
Cujus ob praestans meritum frequenter,
Aegra quae passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.
Noster hinc illi Chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas,
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per aevum.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super coeli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat,
Trinus et unus. Amen.

Oratio ad S. Virginem et Matyrem.

Deus, qui inter caetera potentiae tuae

miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti; concede propitius, ut qui beatae N. Virginis et Martyris tuae natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Alia Oratio.

Indulgentiam nobis, quaesumus Domine, beata N. Virgo et Martyr imploret, quae tibi grata semper extitit et merito castitatis, et tuae professione virtutis. Per Dominum.

Oratio ad S. Virginem.

Exaudi nos Deus salutaris noster; ut sicut de beatae N. Virginis tuae festivitate gaudemus, ita piae devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Hymnus ad S. Virginem.

Jesu, corona Virginum,
Quem mater illa concipit,
Quae sola Virgo parturit,
Haec vota clemens accipe.
Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens praemia.
Quocunque tendis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.
Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus,
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Alius hymnus ad S. Viduam.

Fortem virili pectore
Laudemus omnes feminam,
Quae sanctitatis gloria
Ubique fulget inclyta.
Haec sancto amore saucia,
Dum mundi amorem noxium
Horrescit, ad coelestia
Iter peregit arduum.
Carnem domans jejuniis,
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens,
Coeli potitur gaudiis.
Rex Christe, virtus fortium,
Qui magna solus efficis,
Hujus precatu quaesumus,
Audi benignus supplices.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

Oratio ad S. Joannem Apostolum.

Ecclesiam tuam Domine, benignus illustra, ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

Oratio in festo SS. Innocentium.

Deus, cujus hodierna die praeconium Innocentes martyres non loquendo, sed

moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum nostrum.

Oratio ad S. Laurentium.

Da nobis quaesumus omnipotens Deus, vitiorum nostrum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum nostrum.

Oratio ad S. Joannem Nepomuc.

Deus, qui ob invictum B. Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti; da nobis ejus intercessione et exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animae detrimentum in hoc saeculo tolerare. Per Dominum.

Oratio ad S. Aloysium.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti; ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum.

Ad S. Carolum Borrom.

Ecclesiam tuam, Domine, sancti Caroli Confessoris tui atque Pontificis continua

protectione custodi, ut sicut illum pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum.

Ad S. Franciscum Seraph.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis foetu novae prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Ad S. Martinum.

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus; concede propitius, ut intercessione beati Martini Confessoris tui atque Pontificis contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Oratio ad S. Augustinum.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. Per Dominum.

Oratio ad S. Josephum Calasant.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis juventutem novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es;

praesta quaesumus, nos ejus exemplo et intercessione ita facere, et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum.

Oratio ad S. Ignatium.

Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti; concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

Oratio ad S. Franciscum Xaver.

Deus, qui Indiarum gentes beati Francisci praedicatione et miraculis Ecclesiae tuae aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Oratio ad S. Benedictum.

Intercessio nos, quaesumus Domine, beati Benedicti Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Oratio ad S. Dominicum.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis; concede, ut ejus intercessione, temporalibus non destituatur

auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Dominum.

Oratio ad S. Antonium Pad.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui solemnitas votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Dominum.

Oratio ad S. Stanislaum Kostka.

Deus, qui inter caetera potentiae tuae miracula etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti; da quaesumus, ut beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum.

Oratio ad S. Leopoldum.

Deus, qui beatum Leopoldum a saeculi curis ad coelestem gloriam transvexisti; concede quaesumus, ita nos per haec temporalia pertransire, ut aeternae vitae consortia mereamur. Per Dominum.

Oratio ad S. Georgium.

Deus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas; concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum.

Oratio ad S. Ludovicum Tolosanum.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum atque Pontificem, coeleste regnum terreno praeponere docuisti, ac puritate illibata et eximia in pauperes charitate mirabilem efficere dignatus es; concede nobis famulis tuis imitari, quem colimus, ut ejusdem virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

Oratio ad S. Vincentium a Paulo.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum B. Vincentium Apostolica virtute roborasti; praesta quaesumus, ut, cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

Oratio ad S. Hieronymum.

Deus, qui Ecclesiae tuae in exponendis sacris scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es; praesta quaesumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum.

Oratio ad S. Eduardum.

Deus, qui beatum Regem Eduardum Confessorem tuum aeternitatis gloria coronasti; fac nos quaesumus, ita eum venerari

in terris, ut cum eo regnare possimus in coelis. Per Dominum.

Oratio ad S. Thomam de Aquino.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomae Confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione foecundas; da nobis quaesumus, et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere. Per Dominum.

Oratio ad S. Casimirum.

Deus, qui inter regales delicias et mundi illecebras sanctum Casimirum virtute constantiae roborasti; quaesumus, ut ejus intercessione fideles tui terrena despiciant, et ad coelestia semper aspirent. Per Dominum.

Oratio ad S. Franciscum de Paula.

Deus, humilium celsitudo, qui beatum Franciscum Confessorem Sanctorum tuorum gloria sublimasti; tribue quaesumus, ut ejus meritis et imitatione, promissa humilibus praemia feliciter consequamur. Per Dominum.

Oratio ad S. Henricum.

Deus, qui hodierna die beatum Henricum Confessorem tuum, e terreni culmine imperii ad regnum aeternum transtulisti; te supplices exoramus, ut sicut illum gratiae

tuae ubertate praeventum, illecebras saeculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum.

Oratio ad S. Camillum de Lellis.

Deus, qui S. Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis praerogativa decorasti; ejus quaesumus meritis, spiritum nobis tuae dilectionis infunde, ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum.

Oratio ad S. Hieronymum Aemilianum.

Deus, misericordiarum Pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adjutorem et patrem esse voluisti; concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

Oratio ad S. Stephanum, Regem Hungariae.

Concede, quaesumus, Ecclesiae tuae omnipotens Deus, ut beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in coelis. Per Dominum.

Oratio ad S. Wenceslaum, Ducem et Mart.

Deus, qui beatum Wenceslaum per martyrii palmam a terreno principatu ad coelestem gloriam transtulisti; ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Oratio die natali.

Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quod me e nihilo eduxeris, quod vitam meam ad hanc usque horam conservaveris, quod omnes gressus meos benigne direxeris, quod tot, tantaque bona mihi concesseris, quod e tot periculis me liberaveris, quod tam bonos parentes, magistros et amicos mihi donaveris, et quod me toties lapsum erexeris. In gratiarum actionem pro his et innumeris aliis beneficiis sanitatem, vitam, omnesque vires corporis et animae ad majorem Nominis tui gloriam libentissime impendam. Unum hoc quam instantissime rogo, ut manum tuam nec imposterum mihi subtrahas, sed gratiam concedas nunquam discedendi a semita mandatorum tuorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio in honorem Sancti, cujus nomen geritur.

Exaudi, quaeso Domine, preces meas, quas in beati N. qui mihi in baptismate

patronus datus est, solemnitate defero, et concede mihi ejus intercessione, ut a tramite virtutis nunquam discedens, cum ipso et omnibus Sanctis tuis gloriam et vitam aeternam consequi merear. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In festo omnium Sanctorum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari; quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum.

Litaniae pro fidelibus defunctis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus. Miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili Redemtor mundi Deus. Miserere etc.
Spiritus sancte Deus. Miserere etc.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere etc.

Sancta Maria.
Sancta Dei Genitrix.
Sancta Virgo virginum.
S. Michael.
Omnes SS. Angeli et Archangeli.
Omnes SS. beatorum Spirituum Ordines.
S. Joannes Baptista.
Omnes SS. Patriarchae et Prophetae.
S. Petre.
S. Paule.
S. Joannes.
Omnes SS. Apostoli et Evangelistae.
S. Stephane.
S. Laurenti.

Ora, orate pro fidelibus defunctis.

Omnes SS. Martyres.
S. Gregori.
S. Ambrosi.
S. Augustine.
S. Hieronyme.
Omnes SS. Pontifices et Confessores.
Omnes SS. Doctores.
Omnes SS. Sacerdotes et Levitae.
Omnes SS. Monachi et Eremitae.
S. Maria Magdalena.
S. Catharina.
S. Barbara.
Omnes SS. Virgines et Viduae.

} Ora, orate pro fidelibus defunctis.

Omnes Sancti et Sanctae Dei. Intercedite pro eis.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
Propitius esto. Parce eis Domine.
Ab omni malo. Libera eos Domine.
Ab ira tua.
A rigore justitiae tuae.
A potestate diaboli.
A rodente verme conscientiae.
A diuturna tristitia.
A crudelibus flammis.
Ab intolerabili frigore.
Ab horrendis tenebris.
A terribili planctu et ejulatu.
Per immaculatam conceptionem tuam.
Per sanctam nativitatem tuam.
Per dulcissimum Nomen tuum.
Per baptismum et sanctum jejunium tuum.
Per profundissimam humilitatem tuam.
Per promtam obedientiam tuam.
Per infinitum amorem tuum.
Per angores et molestias tuas.
Per sanguinum sudorem tuum.
Per captivitatem tuam.
Per coronationem tuam.
Per bajulationem Crucis tuae.
Per amaram mortem tuam.
Per sanctissima vulnera tua.
Per crucem et acerbissimam passionem tuam.

} Libera eos Domine.

Per sanctam resurrectionem tuam. Libera eos Domine.
Per admirabilem ascensionem tuam. Libera eos Domine.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti. Libera eos Domine.
In die judicii. Libera eos Domine.
Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Qui Mariam absolvisti, et latronem exaudisti.
Qui salvandos salvas gratis.
Qui claves habes mortis et inferni.
Ut parentes, propinquos et benefactores nostros a poenis inferni eripere digneris.
Ut omnes fideles defunctos ab aeterna damnatione liberare digneris.
Ut illorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, misereri digneris.
Ut desideria ipsorum adimplere digneris.
Ut in Electorum consortium eos recipere digneris.
Rex tremendae Majestatis.
Fili Dei.
Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona eis requiem sempiternam.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

A porta inferi.
Erue Domine animas eorum.
Requiescant in pace. Amen.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum misericor-

diam concede perpetuam, ut eis proficiat in aeternum, quod in te speraverunt et crediderunt. Per Dominum etc.

O vos, sancti Angeli, omnesque Electi Dei, subvenite animabus fidelium defunctorum. Succurre prae caeteris, tuumque benedictum Filium illis ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. Amen.

Sequentia ex Missa Defunctorum.

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes aute thronum.
Mors stupebit, et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo, cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus?
Rex tremendae Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, Fons pietatis.
Recordare, Jesu pie,
Quod sim causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.

Quaerens me, sedisti lassus;
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.
Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meae non sunt dignae;
Sed tu Bonus, fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce, Deus.
Pie Jesu Domine.
Dona eis requiem. Amen.

MISSA IN DIE DEPOSITIONIS DEFUNCTI.

Introitus.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem; exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

O r e m u s.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere; te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem; sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci: ut, quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses I. 4.

Fratres! Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëre, et sic semper cum Domino erimus.

Itaque consolamini invicem in verbis istis. Deo Gratias.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

In memoria aeterna erit justus. Ab auditione mala non timebit.

Absolve Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum.

Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis, et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Dies irae, dies illa, etc. ut supra pag. 274.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: Dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio, quia, quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dicit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. — Laus tibi Christe.

Offertorium.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas

tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti, et semini ejus.

Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus; tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus; fac eas Domine de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti, et semini ejus.

Secreta.

Propitiare, quaesumus Domine, animae famuli tui N. pro qua hostiam laudis tibi immolamus, Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut per haec piae placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum nostrum.

Praefatio.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.
Sursum corda. Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra gloria tua.

Hosanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Hosanna in excelsis.

Canon Missae, ut supra pag. 110—116.

Communio.

Lux aeterna luceat eis Domine. Cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. Cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Postcommunio.

Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui N. quae hodie de hoc saeculo migravit, his sacrificiis purgata, et a peccatis expedita, indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. Per Dominum nostrum.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Requiescant in pace. Amen.

Ultimum Evangelium S. Joannis, ut supra pag. 117.

MISSA IN ANNIVERSARIO DEFUNCTORUM.

Introitus.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Exaudi orationem meam; ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam, etc.

Oratio.

Deus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

Lectio libri Machabaeorum II. 12.

In diebus illis: Vir fortissimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans; (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum, orare pro mortuis) et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Deo gratias.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

In memoria aeterna erit Justus; ab auditione mala non timebit.

Absolve Domine animas omnium fidelium defunctorum ob omni vinculo delictorum.

Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis, et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Dies irae, dies illa, ut supra pag. 274.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras; quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. — Laus tibi Christe.

Offertorium, ut supra pag. 277.

Secreta.

Propitiare Domine supplicationibus nostris pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum hodie dies annua agitur, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis, ut eas Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

Praefatio, et Canon Missae, ut supra pag. 109—116.

Communio.

Lux aeterna luceat eis Domine. Cum Sanctis tuis in aeternum, qui pius es.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. Cum Sanctis tuis in aeternum quia pius es.

Postcommunio.

Praesta quaesumus Domine, ut animae famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, his purgatae sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam. Per Dominum.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.
Requiescant in pace. Amen.

Ultimum Evangelium S. Joannis, ut supra pag. 117.

Officium absolutionis.

Libera me Domine de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris judicare saeculum per ignem.

Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando coeli movendi sunt et terra.

Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae; dies magna et amara valde. Dum veneris judicare saeculum per ignem.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Libera me Domine, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
In memoria aeterna erunt justi.
Ab auditione mala non timebunt.
A porta inferi.
Erue Domine animas eorum.

Requiem aeternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Absolve, quaesumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Fidelium Deus, omnium Conditor et Redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas, etc.

Oratio pro defunctis, qui in coemeterio requiescunt.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis, hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a

cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro uno defuncto.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui, quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum, etc.

Oratio pro una defuncta.

Quaesumus Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae, et a contagiis mortalitatis exutam in aeternae salvationis partem restitue. Per Dominum.

Oratio pro defunctis parentibus.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti: miserere clementer animabus patris et matris meae, eorumque peccata dimitte, meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICAE.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae,

visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et

interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque conferre gratiam; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et Sanctos una cum Christo

regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam et Apostolicam, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simul contraria omnia, et haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri,

doceri, et predicari, quantum in me erit, curaturum polliceor. Ego idem spondeo, voveo ac juro; sic me Deus adjuvet.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Antiphona: Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Psalm. 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde; sed tu Domine, usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur, et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Psalm. 31.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates; et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Domnus peccatum; nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua; conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris; firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et froeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 37.

Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi; et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum; et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum; et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt; et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum; et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me; et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus; ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 50.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua; et spiritum sanctum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, etc.

P s a l m. 101.

Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me; in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum; quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis; factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae, quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut foenum arui.

Tu autem Domine in aeternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion; quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo; Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum; ut solveret filios interemtorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum mearum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum mearum; in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 129.

De profundis clamavi ad te Domine; Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus; speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia; et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Psalm. 142.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi; et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum àntiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram

rectam; propter nomen tuum Domine vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam; et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, etc.

Ant. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

DE PRAEPARATIONE AD MORTEM.

Necessitas praeparationis ad mortem.

Quotidie morimur, et quasi aquae dilabimur super terram, quae non revertuntur. Vix tamen aliquis est, qui de hac re serio cogitet, ac si mors nullo modo ad homines pertineret. Si iter longius suscipiendum, si aliquod aedificium ponendum est, quantae hic praeparationes! de negotio autem salutis aeternae, de vita alterius vitae nemo solicitus est, nemo recogitat. O stultas hominum mentes! o pectora coeca! Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Si omnes homines, et Angeli omnes totam ingenii capacitatem et vires mentis toto conatu ad hoc applicarent, ut nos serio edocerent, quanti momenti sit, bene mori, vix tamen possent rei magnitudinem quacunque verborum serie adaequare. Statutum est hominibus semel mori, et tantillo mortis puncto infinita saeculorum volumina pendent, nullo unquam fine evolvenda. Ab hoc momento pendet aeternitas vel beatissima in coelo, vel miserrima in inferno. Si male cedit hoc punctum, jactura irreparabilis est. Saepe igitur cogitandum est, quod non nisi semel faciendum. Ultimus dies ideo latet, ut omnes sedulo observentur.

De triplici praeparatione ad mortem.

Praeparatio ad mortem triplex est: remota, propinqua, et proxima.

Remota praeparatio ab ipso exordio usus rationis ineunda est, adeo, ut talem vitam ducere satagas, qualem cupis futuram mortem. Mors est Echo vitae; si vita dixerit bonum, bonum respondebit et mors; si malum, malum pariter mors resonabit.

Ad hanc praeparationem spectat:

I. Bene semper vivere, mundo mori, et vivere Deo.

II. Mortis quotidie memorem esse, et vigilare, quia nescis horam, neque diem.

III. Orationibus, jejuniis, eleemosynis intentum esse.

IV. Generalem confessionem instituere aut totius vitae, aut eorum peccatorum, quae magis gravant animam, juxta prudentis Confessarii consilium, et deinceps abstinere a peccatis.

V. De rebus suis disponere condito testamento.

VI. Cum inimicis reconciliari, et vivere cum omnibus in pace.

Ad propinquam praeparationem, qua te munire debes in infirmitate, haec praecipue requiruntur:

I. Ut vanam et inutilem spem vitae prorogandae deponas, ideoque in infirmitate ad mortem et judicium futurum te diligenter praepares.

II. Ut ipsum morbum patienter feras, et ad majora, si Deo placuerit, sustinenda paratum te offeras.

III. Ut de rebus temporalibus condito testamento, si hucusque fuisset dilatum, disponas; ut mens terrenis curis exonerata liberius ad aeterna se applicet.

IV. Si alicui restitutioni obnoxius es, vel debito, satisfacias per temetipsum, si fieri potest, alioquin per haeredes.

V. Ut Sacramentis te munias cum vera contritione et devotione. Actus fidei, spei, charitatis, et aliarum virtutum elicias saepius.

VI. Ut à singulis, quos offendisti, veniam humiliter petas.

VII. Ut abstineas a querimoniis, verbisque otiosis, cum ab aliis visitaris.

VIII. Si solus non vales, cures tibi legi quotidie aliquid de passione Christi, de vita et morte Sanctorum, vel aliud, quod te excitet ad compunctionem et amorem Dei.

IX. Ut cures in conspectu tuo pias imagines esse, praesertim Christi crucifixi, et B. V. Mariae, ad quos cor frequenter elevabis.

X. Ut acerbissimae Christi passionis assidue memor sis, ejusque patientiam imiteris.

Proxima autem praeparatio, cum ad extrema perventum est, his regulis continetur:

I. Ut coeleste Viaticum accipias, et extrema unctione te munias.

II. Plenam habebis fiduciam in meritis Salvatoris, non in tuis bonis operibus, teque totum immerges in immensum pelagus misericordiae Dei, et intra vulnera Christi te abscondes.

III. Ab omnibus rebus caducis et temporalibus te avertes, totisque viribus et affectu Deo adhaerebis

IV. Acerbissimam Christi passionem semper prae oculis habeas, et ejus immensum amorem erga genus humanum; omnesque tuos dolores et angustias semper Christi doloribus et angustiis unias.

V. Te ipsum ut hostiam vivam ad maximam Dei gloriam offeres, et resignabis in omnem ejus sanctissimam voluntatem.

VI. Actus virtutum theologicarum devote, et brevibus saltem suspiriis renovabis.

Demum postrema tua verba erunt sanctissima nomina: Jesus et Maria, et illa, quae Christus in cruce dixit, antequam expiraret: «Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.»

De tentationibus morientium, et remediis.

Variis modis in horribili mortis articulo impugnari solent homines, inprimis: mortis timore, impatientia, infidelitate, desperatione, praesumtione.

De timore mortis.

Sunt nonnulli, qui ex inordinato vitae amore, ex nimio affectu rerum terrenarum, quibus adhaerent, tanto timore concutiuntur, ut vel solum nomen mortis perhorrescant.

Pro remedio tales serio secum recogitent:

I. Nisi conformaverint suam voluntatem divinae, privabunt se merito singulari, quod habuissent ex conformitate.

II. Tales se non disponent ad vitam aeternam, cum ex hac vita exire formident.

III. Majorem cruciatum sibi ipsis augent, quia mors eo magis amara est, quo plus vita diligitur.

IV. Velit quis, aut nolit; hoc tributum solvendum est. Statutum enim est omnibus, semel mori.

V. Mors malorum finis est, dolorum meta, bonorum initium. E durissimo exilio vocat te Deus amantissimus, ad patriam, ad regnum. Cur laeto animo non sequeris vocantem?

VI. Tandem repellendus est timor piis infirmi orationibus, et aliorum Deum exorantium.

Sunt alii, qui mori timent ob nimium affectum erga personas dilectas, quas relinquunt, uti erga conjugem et filios, soletque tentator ad tegendum terrenum amorem obtendere velum pietatis, quod filii parvuli et egeni sint, filiae necdum elocatae. Hoc timore fit, ut animus curis inutilibus distrahatur, ut negligat, quae ad salutem aeternam necessaria sunt, vel perfunctorie provideat, vel contra Dei dispositiones murmuret.

Contra hanc tentationem remedia.

I. Removere ab aspectu decumbentis hujusmodi personas, et vitare colloquia de illis infirmo praesente.

II. Infirmo persuadere, hujusmodi affectum esse inutilem et sibi, et aliis; majora se in coelis eis auxilia impetraturum, quam hic praesens adferre posset.

III. Sperandum esse in Deo et ejus divina providentia, quae pluris est, quam nostra solicitudo.

IV. Oportere Christum imitari, quem Matris affectus non retraxit a morte pro nobis subeunda.

V. Tandem aeger Dominum Deum exoret, ut liberetur ab hujusmodi inordinato affectu, et imprimat cordi ejus amorem coelestis patriae.

De impatientia.

Quidam ad impatientiam impelluntur, qua fit, ut frangatur animus, et pati recuset infirmitatis incommoda.

Pro remedio serio recogitandum:

I. Quod impatientia non sublevet, sed adaugeat morbum, et eo majori dolore aeger afficitur, quo magis invitus patitur.

II. Amittit aeger impatiens meritum apud Deum, et sua impatientia totum statum internum et externum evertit et perturbat.

III. Praestat hic pati ex ordinatione divina, et satisfacere pro peccatis, quam postea in purgatorio.

IV. Per patientiam insignes virtutum actus exercentur, et anima disponitur ad ingressum coelestis patriae.

V. Perpendenda sunt exempla Sanctorum, qui multo plura perpessi sunt, uti Job, Tobias, et alii. Ad haec sancti Martyres pro Deo exquisitissima tormenta sufferebant, vitam et sanguinem fundebant.

Tandem piis suspiriis ad Deum, donum patientiae et fortitudinis exorandum est.

De infidelitate.

Haec omnium gravissima tentatio est; aggreditur enim fidem, quae est fundamentum omnium bonorum, et sine qua impossibile est placere Deo.

Remedia haec sunt:

I. Nullo modo his cogitationibus inhaerere, sed silentio imposito ad Deum suspirare: Domine, vim patior, responde pro me. Domine, adauge mihi fidem. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

II. Ad omnia dubia respondere dicendo: Credo, quidquid credit sancta Mater Ecclesia catholica et apostolica. Illa est columna et firmamentum veritatis; in hac Ecclesia salvifica vivere et mori exopto.

III. Fidei professionem emittere, aut symbolum apostolicum adjunctis internis fidei actibus recitare.

IV. Tot Martyrum, Doctorum, Pontificum, Conciliorum testimonia, tot verae Ecclesiae notas et signa, tot miracula in confirmationem hujus fidei edita mente revolvere.

De diffidentia et desperatione.

Aliquando spem adoritur tentator, et proponens aegro ignotas alterius saeculi vias, peccata a primis annis perpetrata, debitas inferni poenas, divinae justitiae rigorem, et alia hujusmodi — miseram animam in diffidentiam perducit, ac tandem in barathrum desperationis detrudit. Si causa nota est, ex qua ad desperationem inducitur homo, uti est pusillanimitas in aegro, vel affectus ad aliquod peccatum, quod nollet relinquere, vel quia non vult restituere aliena, vel quia reticebat

aliqua peccata in confessione, aut non bene explicabat etc., curatio hic facilis erit, amota causa.

Alias recurrendum erit ad haec remedia:

I. Dei infinitam bonitatem et misericordiam perpendere, cui proprium est misereri semper, et parcere.

II. Quod ipse futurus sit judex, qui est noster advocatus, et qui pro nobis passus est.

III. Cum Deus fidelissimus sit in promissionibus suis, nullo modo dubitare licet de venia peccatorum, cum pollicitus sit: «In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.»

IV. Prae oculis habenda sunt exempla: Petri, Latronis, Filii prodigi, Magdalenae, Samaritanae mulieris, Davidis etc., qui veniam sunt consecuti.

V. In spem erigendus est aeger ex bonis, quae ipse cum Dei gratia peregit: Vixit ut fidelis in gremio S. Matris Ecclesiae, percipiebat SS. Sacramenta; ex virtute et efficacia poenitentiae, quam aeger rite persolvit; ex intercessione Sanctorum et auxilio Angelorum Custodum, quia plures sunt pro nobis, quam contra nos; ex precibus aliorum.

De praesumtione.

Contraria desperationi est nimia confidentia et praesumtio. Ad hanc pervenit homo, si bona opera, quae fecit, suis meritis et viribus adtribuat, si in superbiam elatus, deberi sibi coelestem beatitudinem existimet.

Remedia:

I. Consideret aeger judicia Dei incomprehensibilia, propter quae ipsi Sancti timuerunt valde. S. Paulus ait: «Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?»

II. Consideret operum suorum imperfectionem, simul illud Christi: «Cum feceritis haec omnia, dicite: quia servi inutiles sumus; fecimus, quod debuimus.»

III. Expendat pariter conditionem coelestis gloriae; non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Neque ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit Dominus noster.

Sicut viator **inclinata** die, si adhuc longum restet iter, festinat, et gressum accelerat: ita homo, cui se jam mors per infirmitatem insinuat, eo magis circa salutem suam se impendat. Et ne otiose lecto affixus, et infirmitatis pertaesus, ad impatientiam vel alias tentationes incidat: quousque infirmitas permittit, pie se occupet, et sacris exercitiis se impendat, quorum aliqua hic sequuntur.

Exercitium infirmorum in praeparatione ad mortem.

Resignatio.

Omnipotens aeterne Deus! prosterno me coram te, et demississimo corde te adoro.

Tu solus vitae meae dominus et Deus meus es; vivere non recuso, sed vitam nolo, si tibi et obsequiis tuis eam non impendam.

Si me hodie mori jubes, mortem non recuso; moriar, ut te videam; moriar, ut tecum in aeternum vivam.

Fiat Domine in me, de me, et circa me sanctissima voluntas tua, in tempore et aeternitate.

Paratum cor meum Deus! paratum cor meum; Domine, quid me vis facere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid me vis fieri?

Oratio.

Resignationibus meis, quaeso Domine, placare susceptis, et ad te meam, etiam rebellem compelle propitius voluntatem.

Ad Deum Patrem.

Pater clementissime! Dominus meus et Deus meus! compareo coram te, cui me submitto jugiter, et accedo cum fiducia ad thronum gratiae et misericordiae tuae, ut misericordiam consequar, et gratiam inveniam in auxilio opportuno, dum tempus est miserendi. Da mihi continuo mentem sanam; da patientiam veram; da saltem in affectu Communionem sacram; da sanctam Unctionem; da remissionem peccatorum plenam; da Sanctorum consolationem; da in exitu vitam aeternam. Et quoniam nudus et pauper in hunc mundum ingressus sum, et nudus revertar ad te — temporalia temporalibus relinquo. Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum.

Ad Deum Filium.

Domine Jesu Christe! propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in cruce, maxime in illa hora, quando

nobilissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, oro te: miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, Paraclite, Adorande, bonitatis, pacis, charitatis, et omnis dulcedinis fons immense! obsecro te per tuam aeternam ex Patre et Filio processionem; infunde nunc radium propitiationis tuae in animam meam; omnes malignorum spirituum impugnationes a me remove; effunde in animam meam divitias gratiae tuae, eamque conforta; fac eam plene contritam ad te suum Creatorem fervide aspirare, et ad te fontem sanctitatis purificatam pervenire. Dignare, o divine Spiritus, me totum illuminare, et accendere igne charitatis tuae, atque ad te, totius salutis ac gratiae fontem et originem, me perducere. Qui cum Patre et Filio vivis et regnas aequalis Deus et unus — per infinita saecula saeculorum. Amen.

Suspiria pia infirmi.

Moriar morte Justorum, et fiant novissima mea horum similia.

Praesta, mi Deus, ut ante mortem corporis mei in me moriantur noxii affectus et omnis ad terram inclinatio.

Tunc moriar, cum mihi ipsi, rebusque omnibus perfecte mortuus fuero.

O dulcissime Jesu, mi Redemtor! per tuam beatissimam mortem precor te, ut des mihi beata morte defungi, et ad te, veram vitam parvenire.

O beatissima Virgo Maria, amantissima mater mea, et Sancte Joseph, Virginis Sponse! vos humiliter exoro, ut mihi felicem mortem vestris precibus impetretis. Assistite mihi cum sancto Angelo meo custode in illa tremenda hora, et ab omni tentatione et periculo me tunc praesertim defendite. Amen.

Professio Fidei.

Credo in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, Deum unum in essentia divina, et trinum in personis.

Credo aliam esse personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti; sed Patris et Filii et Spiritus sancti unam esse Divinitatem, aequalem gloriam, coaeternam Majestatem.

Credo, quod Dominus noster Jesus Christus Dei Filius — Deus sit et homo; Deus ex substantia Patris ante saecula genitas, et homo ex substantia Matris in saeculo natus. Perfectus Deus, et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens; aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum Humanitatem.

Credo, quod Dei Filius Jesus Christus sit conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

Credo, quod sit passus pro nobis sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.

Credo, quod descenderit ad inferos, ad liberandos inde sanctos Patres; tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit tandem ad coelos, et sedet ad dexteram Patris.

Credo, quod Christus Jesus inde venturus sit, et judicabit vivos et mortuos. Justis decernet praemia aeterna, peccatores puniet igne aeterno.

Credo unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam, et in illa institutam esse remissionem peccatorum.

Credo, Christum Jesum in sua sancta Ecclesia instituisse septem Sacramenta: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium.

Credo, in augustissimo Altaris Sacramento esse verum corpus et verum sanguinem Jesu Christi, seu: esse Christum totum, verum et vivum, verum Deum, et verum hominem.

Credo, quod Sanctos Dei regnantes in coelis debeamus revereri tanquam amicos Dei, quorum et sacras Reliquias venerandas esse recognosco; ipsos quoque apud Deum pro nobis intercedere posse profiteor.

Credo dari purgatorium, in quo animae justorum post mortem, ad rigorem Justitiae divinae satisfaciendo, inde aeterna felicitate beantur in coelis.

Credo, quidquid sancta Mater Ecclesia catholica credendum proponit. Et quidem credo omne id de te, Pater aeterne; profiteor omne id de te, Fili unigenite; teneo omne id de te, Spiritus sancte, quidquid sancta Mater Ecclesia catholica, romana, apostolica nobis credendum proponit, et quomodo illa credendum declarat.

Haec autem ideo credo, quia tu Deus, qui es aeterna veritas, haec omnia nobis credenda proposuisti. In hac fide, et in gremo Ecclesiae catholicae vivere et mori volo. Sic me Deus adjuvet.

Professio Spei.

Spero in infinita bonitate et misericordia tua, mi Deus! quod per merita Jesu Christi Redemtoris mei obtenturus sim remissionem omnium peccatorum meorum, finalem gratiam, et post mortem vitam aeternam.

Spero, mi Deus! quod gratia tua adjutus, superabo omnes insidias diaboli, mundi et carnis, quod in virtute amarissimae Christi passionis evertentur omnes tentationes, et pericula salutis profligabuntur.

Spero, quod clementissima dextera tua, mi Deus, me feliciter deducet per angustias mortis, et introducet misericorditer in numerum Electorum tuorum.

Et quidem ideo spero, quia tu Deus promisisti gratiam tuam, et auxilium, ac ipsam vitam aeternam inquirentibus te, qui

fidelissimus es in omnibus promissis tuis, et omnipotens in cunctis exequendis.

Spero autem haec, et cuncta alia bona, non in meritis meis, quae nulla sunt, sed in meritis Christi Salvatoris mei, et per clementissimam intercessionem B. V. Mariae, matris misericordiae, et Sanctorum omnium.

Professio Charitatis.

Amo te, Deus meus, Creator meus, possessor animae meae, ex toto corde, ex tota mente, et ex tota anima mea.

Amo te super omnia, paratus pro amore tuo et sanguinem meum fundere, et vitam ponere quandocunque. Et quidem amo te unice ideo, quia tu summum Bonum es, omnique amore dignissimus.

Et quia tu, Deus summe amabilis, vis et praecipis, ut propter te diligamus et proximos, imo et inimicos nostros, amo propter te, amo sicuti me, omnem hominem in hac vita degentem, amo et inimicos meos, si quos haberem.

Ignosco ex corde omnia omnibus, et ut tu ipse Deus illis dimittas omnia debita, et conferas salutem aeternam, humillime pro omnibus exoro ea devotione et eo sincero corde, quo tu ipse, Christe Jesu, in cruce pendens, Deum Patrem pro inimicis tuis exorasti.

Dolor de peccatis.

Cum vero me ipsum maximum debitorem coram sanctissima divina Majestate

recognoscam, coram te, summe Deus, quem toto corde, tanquam creatura suum Creatorem adoro, in abyssum nihili mei me abjiciens, summè super omnibus delictis vitae meae doleo.

Ah doleo de omni mea erga te Deum meum ingratitudine, de negligenter transactis vitae meae annis, de tanta in obsequiis tuis ignavia, tepore, ariditate; praesertim de N. N. doleo, et plurimum doleo, quod te Deum, summum et infinitum Bonum, vilis ego et perfida creatura tua toties in vita mea offenderim.

Actus desiderii et propositi.

O utinam totam vitam melius impendissem; utinam a primo usu rationis me tuo amori et tuis obsequiis totum consecrassem; utinam omnibus retro vitae meae momentis tibi soli Deo, Creatori meo, servivissem; utinam nulli rei visibili et creatae, sed unice animae meae saluti intentus fuissem!

Pudet me, mi Deus, tam socordis et ignavae vitae meae; pudet, quod peccata peccatis in dies addiderim, etiam postquam tot favores et gratias tu, Deus misericordissime, mihi praestitisti.

Verum amodo et inposterum cum divina gratia tua propono, totum me cum residua vita mea tuo honori et sanctissimis obsequiis tuis velle impendere; detestor, et ex toto corde abominor omne malum, amplector omne bonum; tibi soli vivere, tibi soli servire, te

super omnia diligere, ex amore tuo omnia adversa pati, in amore tuo et gratia tua vivere et mori volo et desidero. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

Supplico singulariter apud te, misericordiae Mater, Dei Genitrix Maria! per illas angustias, quas sub cruce Filii tui stando sustinuisti, dum misericordissimis oculis tuis respiciebas Filium tuum, ut in hora mortis meae me quoque indignum filium et famulum tuum clementer respicias, ne me tunc Mater misericordiae deseras, sed materna tua cura, solicitudine ac piissima protectione feliciter me per angustias mortis ad portum salutis deducas, ubi tu jam cum Filio tuo triumphas in saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio.

Deus meus, Bonitas infinita; ego vilis creatura et indignus peccator cupio, priusque abeam, divinae Majestati tuae in hac valle lachrymarum sacrificium laudis et gratiarum actionis toto corde offerre pro innumerabilibus beneficiis tuis, ut de perceptis gratias agens, ad alia in proximo percipienda me disponam.

Gratias igitur ago tibi infinitas, quod ab aeterno dignatus fueris de me amanter cogitare, et in tempore me creare ad imaginem et similitudinem SS. Trinitatis.

Gratias ago pro unigenito Filio tuo, quem nobis pro redemtione nostra in mun-

dum misisti, qui etiam pro nobis passus, abluit nos a peccatis nostris in pretiosissimo sanguine suo.

Gratias ago pro mysterio vivifici corporis et sanguinis illius, quo in Ecclesia tua pascimur, potamur, et tuae Divinitatis participes efficimur, et pro reliquis Sacramentis, quibus abluimur, et sanctificamur.

Gratias ago, quod ab ipso vitae meae exordio me semper nutrivisti, conservasti, et fovisti suppeditans omnia, quae mihi erant necessaria.

Gratias ago, quod me a teneris per multa scelera divagantem, patientissime toleraveris, expectans, donec gratia tua praeventus resipiscerem; nisi enim misericordia tua adjuvisset me, jam habitaret in inferno anima mea.

Gratias ago, quod me multoties a peccandi occasionibus segregaveris, tibique serviendi opportunitatem concesseris; quod ab innumeris periculis, insidiis, tentationibus, angustiis liberaveris, et admirabili tua providentia vitam meam inter prospera et adversa disposueris.

Gratias ago pro tot naturae et gratiae adjumentis, quae mihi, ad perfecte tibi serviendum tribuisti. Pro his et aliis innumeris beneficiis tuis in me indignum collatis, laudent te pro me omnes angelici spiritus, omnes Sancti et Electi tui, et beatissima Virgo Maria, mater Domini nostri Jesu Christi, cum quo et Spiritu sancto vivis et

regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Commendatio animae ad B. V. Mariam.

O Maria, Mater misericordiae, Mater Dei et Virgo, Mater admirabilis, Consolatrix afflictorum, Regina omnium Sanctosum! intercede pro me, ut spiritus meus absque ulla peccati macula et poenae reatu mereatur a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci. Amen.

Sancte Michaël Archangele! Sancte Angele Custos! omnes sancti beatorum spirituum Ordines! et vos beatissimi Patroni mei N. N. defendite me in praelio, ut non peream in tremendo Dei judicio. Amen.

Intentio morientis.

Domine, tibi offero vitam meam, a quo illam accepi; sum paratus mori omni tempore, juxta sanctissimam voluntatem tuam.

Volo mori, quia tu vis, et statuisti omnibus hominibus semel mori.

Volo mori, ut angustiis et amaritudine mortis meae satisfaciam divinae justitiae tuae pro innumerabilibus peccatis, quibus te offendi, et mille mortes promerui.

Volo mori, ut tandem faciam finem tot offensis a me tibi illatis.

Volo mori in testimonium gratitudinis, quam tibi debeo pro tot, tantisque beneficiis, mihi indigno praestitis.

Volo mori, ut moriendo ostendam, me magis desiderare tuam gloriam, quam vitam meam.

Volo mori, ut possem te aeternum amare et laudare, qui es finis meus ultimus, ad quem sum conditus.

Volo mori ex puro amore tui, quia tu in cruce mori dignatus es amore mei.

Oro te itaque, Deus cordis mei, per vulnera et mortem Christi Filii tui; da mihi felicem mortis horam, et ne perdas animam meam, quam Filius tuus pretioso sanguine redemit. Amen.

Suspiria morientis.

Adoro te Deum, unum, vivum, et verum.
In te credo, o aeterna Veritas.
In te spero, o infinita Misericordia.
Te amo super omnia, o Deus, summa Bonitas.
Domine, poenitet me peccasse amore tui, non peccabo amodo in aeternum.
Jesu, Fili David, miserere mei.
Non mea, Domine, sed tua voluntas fiat.
Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut postea parcas in aeternum.
Jesus! esto mihi Jesus, et salva me.
Maria, Mater Dei, memento mei.
Sancti Angeli Dei, defendite me.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me.
Domine Jesu! suscipe spiritum meum.
Jesus. Maria. Joseph.

HYMNI

a juventute literarum humaniorum studiosa sub Missa cantari soliti.

DIE DOMINICA.

Ad Introitum.

Prosternimur credentes
Coram Te, Trinitas!
Exaudi concinentes,
O una Deitas!

En hostiam litamus,
    Quam lege jusseras;
Nos simul immolamus,
    Quibus Te dederas.

Servator ante coenam,
    Quae fuit ultima,
Vadens in mortis poenam
    Amoris victima,
Panem, vinum accepit,
    Dedit discipulis,
Hoc facerent, praecepit,
    Sacris in epulis.

Vos, ait, manducate
    Hoc carnis epulum,
Et calicem libate,
    Salutis poculum:
Hoc mortis monumentum
    Ne mente abeat,
Amoris documentum
    In vobis maneat.

Ad Evangelium.

Est Dei testamentum
    In Evangelio;
Hoc habet fundamentum
    Vera religio;
Hoc lumen orbi dedit,
    Qui nunquam fallitur,
Felix, qui firmus credit,
    Et promtus sequitur.

Ad Offertorium.

Aeternus, Deus unus!
    Oblatum suscipe,
Panis et vini munus
    Placatus accipe.
Nam panis, corpus verum,
    Pro cunctis hostia,
Et sanguis Christi, merum,
    Fiet propitia.

Sacramus voluntatem,
    Cor, corpus, omnia;
Juva fragilitatem
    Superna gratia:
Da leges custodire,
    Quas jubes exequi,
Malo non consentire,
    Salutem adsequi.

Ad Sanctus.

Mentem et cor levemus
    Ad coeli atria;
Ter, Sanctus, insonemus
    Deo in gloria.
O! cujus majestate
    Plena sunt omnia,
Da, gentes caecitate
    Leventur noxia.

Ut sic unito corde
    Mens Hosanna pium,
Procul a quavis sorde,
    Applaudat omnium.
Benedictus, qui venit
    In Dei nomine,
Qui probra nostra lenit,
    Mundans nos crimine.

Post Elevationem.

Gaudete piae mentes;
    Ecce mysterium!
Este corde praesentes
    Ad hoc convivium:
Sub velo panis latet
    Corpus indubie,
Et sanguis Christi latet
    Sub vini specie.

Pater, qui es in coelis!
    Tibi encomia,
Et nobis dare velis
    Coelorum praemia,

Fiat tua voluntas,
Da panis munera,
Dimitte nobis culpas,
Tentatos libera.

Agnus Dei, qui deles
Mundi piacula,
Sacramento fideles
Pascens per saecula:
O Jesu! miserere,
Contritos respice;
In pace nos tuere,
Nec abs Te rejice.

Indigni quidem sumus,
Ad quos Tu venias;
Mox tamen sani sumus,
Si nos respicias.
O dic: Hoc sacramentum
Mundet nos crimine,
Sit nobis firmamentum
In vitae limine.

Ad finem Missae.

O Deus gratiarum!
Tibi litavimus;
Solemnia missarum
Tibi dicavimus:
Obsequium collatum
Clementer suspice;
Da nobis Te placatum,
Nunquam nos despice.

Ite jam, o fideles!
Nam, ut praescripta est,
Oblatio ad aedes
Supernas missa est.
Ite, sed ex virtute
Una in alteram;
Ite a juventute
Ad vitae vesperam.

FERIA SECUNDA.

Vení sancte spiritus, etc. pag. 177.

FERIA TERTIA.

Aeterne rector siderum!
Qui cuncta per potentiam
Bonus creasti maximam,
Regisque providentia;
Adesto supplicantium
Tibi reorum coetui,
Et hocce sub diluculum
Lucem novam da mentibus.
Tuusque nobis Angelus,
Electus ad custodiam,
Hic adsit; ut nos protegat
A criminum contagio.

Nobisque diligentiam
Bonis det in scientiis,
Ut germinemus singuli
In spem futuram patriae.
Custos et adsit Principi,
Ut regnet annos plurimos,
Ut floreat stirps Austriae
Augusta multis saeculis.

Et civium det mentibus
Cunctis amorem patriae;
Legum det observantiam,
Bonique curam publici.
Metum repellat hostium
Nostris procul de finibus;
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.
Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat.

FERIA QUARTA.

Lauda Sion Salvatorem, etc. pag. 185.

FERIA SEXTA.

Stabat mater dolorosa, etc. pag. 227.

SABBATHO.

Ave maris stella, etc. pag. 227.

SINGULIS DIEBUS.

Ad Elevationem SS. Sacramenti.

Adoramus te Christe,
Et benedicimus tibi;
Quia per crucem
Redemisti mundum.

Ante Benedictionem.

Sanctus, sanctus, sanctus,
Sanctus, semper sanctus
Christus in sanctissimo
Corporis mysterio.

Post Benedictionem.

Nunquam nos desere,
Jèsus dulcissime,
Jesus dulcissime,
Nunquam nos desere.

INDEX.

Viennae, ex typographia Viduae Antonii Strauss.

